



UNED

[PRUDENCIO, Aurelio Clemente]
autor poeta aragonés.



F.A.082

K.0000153341

12/10/11

P2



Aurelii Pru

DENTII CLE-
MENTIS, VIRI
CONSULARIS,
OPERA:

Commentarijs AElj An-
tonij Nebrissensis,
atq; Ioannis Si-
chardi scho-
lijs illu-
strata.



LIBRORVM , QVI
in hoc opere habentur,
singulorum
catalogus.

Psychomachia.

Cathemerinon.

Peristephanon.

Apotheosis.

Hamartigenia.

Contra Symmachum , praefectum
urbis , libri duo.

Enchiridion Noui & Veteris
testamenti.

2

ORNATISSIMO VI-
RO D. MARTINO GO-
liae, Decano Aschaffenburgensi, necessario suo,
Ioan. Sichardus
S. D.

Quidis velim potius tibi in mentem veniat, ornatissime vir, quam obliuione me tui rarius ad te hactenus scripsisse. Eius enim quum sim ingenij, vt quos cepero, constantissime amem, talesq; nonnunquam quos iure meo odisse etiam poteram, committi à me posse per summum flagitium putas, vt tui sim vnquam passurus obliuionem mihi obrepere? Quem quum mihi primum sanguinis necessitudo quaedam coniungat, tum ingenium illud tuum, non modo eo, quo habetis apud tuos loco, dignum, sed quouis maximo imperio: deinde plurimae tuae virtutes, quae hominem te nouum, absit inuidia verbo, eousque euexere, vt, id quod est planè monstri simile, nihil à purpuratis illis dextrè obiri vulgo persuasum sit, quod non tuis veluti auspicijs geratur. Accedit eò, quòd non vulgaribus sum à te beneficijs prouocatus, vt ita amantem nõ redamasse, hominis sit non modo ingrati, sed ne quidem eius, qui velit sensu ali-

A. ij. quo

quo humano præditus videri. Vetus enim
 offensa, quemadmodum dum vterque sen-
 tentiam suam pro virili tuetur, est inter
 nos suscepta, ita tolletur, nisi fallor, com-
 modè: vbi iam ea de re, de qua in certam-
 en, non dissidendi studio, sed exempli
 causa, ventum erat, inter nos conuenit.
 Sunt autem, quæ, vt maximè fuerim ini-
 quus, non repugno enim magnoperè,
 culpæ tamen me eximant, si cogites à me
 tempore fuisse seruitum: cui quum me
 anxie magis quàm feliciter accommodo,
 ne id quidem tuli, quod in primis capta-
 bam. Aut si ne id quidem apud te satis
 est habiturum ponderis, quod tamen se-
 cus futurum existimo, eiusmodi mea fuit
 ætas, in quam si tale quid cadat, quale à
 maximis ingeniis non fuit alienum, an
 non donabis? nimirum si cum Flacco no-
 stro me videas

Irasci celerem, tamen vt placabilis essem.

Quamuis, si verum fateri velim, non
 iniuria videri possem suscepisse hanc, non
 dico simultatem, nolo enim hoc verbum
 nominari apud eos, qui omnino inter se
 aliquando cohæserint, sed offensionem
 animi temporariam: quam quum protin-
 nus deposuissem, eiusque dedissem paulò
 post tibi significationem haud obscuram,
 facis tu quidem parum è dignitate tua, si
 post

post reditionem in gratiam, atque de-
mum missos placati ad te animi mei ob-
sides, pergis tamen etiam nunc confi-
ctatiunculæ illius, cuius iam pridem o-
portebat memoriam apud te exoleuisse,
recordari diem. Ad me quidem quod
pertinet, hanc volo omnino de me tibi
opinionem induas, nunquam te post ex-
postulationem illam à me non modò a-
matum frigidius, sed quum singularem
animi tui moderationem vehementer es-
sem admiratus, cœpi tandem etiam su-
spicere: Cuius equidem rei ad te Pru-
dentium hunc nostrum, qui pro me spon-
deat, mittimus. In quo emendando si
sum, quod potissimum volui, consecu-
tus, triumpho, videlicet vt is tibi bene
erga te affecti animi mei faciat fidem, &
à nostræ ætatis hominibus paulò inof-
fensus legatur: qui antehac non modo
mutilus, quod temporum iniuriæ im-
putari conueniebat, sed & sui dissimilis
est circumlatus: ita, vt primo protinus
aspectu agnoscas quædam temerè à scio-
lo, nescio quo, inserta subdititia, quæ à
Prudentij dictione longè latèque dissi-
deant. Pristino autem nitóri restituimus,
non ingenio freti, quod est genus emen-
dandi satis lubricum, ne dicam interim
pestilens, sed ex codicibus vetustiori-

bus, quorum ad me vnum ex Argentora-
to submisit vir Consularis VVerinherus
Vuoflinus, vir cum eruditus, tum quod
in magna nunc laude, vt sunt mores ho-
minum, est ponendum, communibus stu-
dijs maximè fauens. Quem laborem si
tibi, tuique similibus gratum sense-
ro, addet id mihi calcar, vt in
cæteris quoque idem fa-
cere nihil sim dubita-

turus. Interim ista
nostra candide
amplectere,
& Vale.

Basileæ ex ædi-
bus nostris. Anno
M. D. XXXVII.
Mense Mar-
tio.

4

AVRELII PRUDENTII
VITA PER ALDVM
ROMANVM.

AVrelius Prudentius Clemens, vir Con-
sularis, genere fuit Hispanus, ex vrbe Cæ-
saraugusta, vt ex eo hymno colligimus,
quem in laudem duodeuiginti martyrum Cæsar-
augustanorum scripsit. Fuit homo ingeniosus, gra-
uis, & ornatus moribus, ac Christianæ religionis
obseruantissimus, quod ex ipsius operibus facile
est cognoscere: licet adolescentiam, & iuuentu-
tem, quum bonis literis indulgeret, incontinen-
ter egerit: quod dolet ipse in proœmio *καὶ θύμῃ ἐπι-
νόῳ* his verbis:

*Ætas prima crepantibus
Fleuit sub ferulis, mox docuit toga
Infectum utiis falsa loqui non sine crimine.*

*Tum lasciuia proteruitas,
Et luxus petulans (heu pudet, ac piget)
Fœdauit iuuenem nequitia sordibus, ac luto.*

Fuit & iuris peritus, ac Massaliæ Consul. Mili-
tauit etiam non sine laude, puto sub Honorio,
quod sic ipse testatur:

*Eis legum moderamine
Frenos nobilium reximus urbium.
Ius ciuile bonis reddidimus, terruimus reos.*

*Tandem militia gradu
Euectum pietas principis extulit,
Assumptum propius stare iubens ordine proximo.*

Postremo septimum & quinquagesimū annum
agens, res ecclesiasticas vario metrorum genere
cœpit componere, ingeniose quidem, & elegan-
ter, sed spreta interdum syllabarum quantitate
in peregrinis dictionibus, & maxime Græcis:

A.iiii. non

AVRELII PRUDENTII

non quòd putem ipsum ignorasse literas Græcas, quoniam hi tituli librorum eius redarguunt, *Ψυχομαχία, καθημερινόν, ἀποθέωσις, ἀμαρτιγένεια, περί στεφάνου, διπτοχάϊον*, sed Ectasin, Systolenq; facere posse interdum in rebus sacris sibi licuisse (nisi mendosi codices) fortasse voluit. Dolens præterea nihil scribendo eò ætatis venisse, sic queritur:

*Instat terminus, & diem
Vicinum senio iam deus applicat,
Quid nos utile tanti spacio temporis egimus!*

Floruit temporibus Valentiniani secundi, & Theodosii magni, & filiorum eius Arcadii & Honorii Imperatorum, quibus & Ausonius & Claudianus poëtæ, item Hieronymus, Ambrosius, Augustinus, diui Ecclesiæ sanctæ doctores floruerunt. Nam in præmio primi libri contra Symmachum, colligimus Prudentium eo tempore floruisse, quo Symmachus, his ad Christum pro Symmacho precibus:

*Saluator generis Romulei precor,
Qui cunctis ueniam das pereuntibus,
Qui nullum statuis non operis tui
Mortalem, facili quem releues manu.
Huius, si potis est, iam miserescito
Præruptam in foueam præcipitis uiri.
Spirat sacrilegis flatibus inscius,
Erroresque suos indocilis fouet,
Obtestor iubeas, ne citus impetus
Arsum medijs inferat ignibus.*

Tum quia contra Symmachum diuus etiam Ambrosius scripsit ad Valentinianum Augustum, perspicimus diui Ambrosii tempestate fuisse Prudentium. In fine autem secundi libri contra Symmachum, videtur Prudentius ad Honorium Theodosii Magni

Magni filium dirigere sermonem his carminibus:

Te precor *Ausonij dux Augustissime regni,*

Et tam triste sacrum iubeas, ut cætera tolli.

Perspice, nonne uacat meriti locus iste paterni,

Quem tibi supplendum deus, & genitoris amica

Seruabit pietas? solus ne præmia tantæ

Virtutis caperet, partem tibi nate reseruo,

Dixit: & integrum decus, intactumque reliquit.

Arripe dilatam tua dux in tempora famam,

Quodque patri superest, successor laudis habeto.

Ille urbem uetuit taurorum sanguine tingi,

Tu mortes miserorum hominum prohibeto litari.

Nullus in urbe cadat, cuius sit pœna uoluptas,

Nec sua uirginitas oblectet cædibus ora,

Iam solis contenta feris immanis harena,

Nulla cruentatis homicidia ludat in armis.

Sit deuota deo, sit tanto principe digna,

Et uirtute potens, & criminis inscia Roma,

Quemque ducem belli sequitur, pietate sequatur.

Præterea meminit Stiliconis, quem & Rufi-

num Theodosius Magnus, quum Arcadius, &

Honorius filii, quos post liberatum orbem, sub-

actosque undique domitosque tyrannos, consortes

imperii fecerat, nondum maturi imperio forent,

ductores legit, & Rufinum Arcadio adiunxit, &

Stiliconem Honorio: & Arcadius Constantino-

poli, Romæ Honorius imperauit. Carmina uero

quibus de Stilicone Honorii comite meminit, quo-

nam stragem Barbarorum continent, qui duce

Radagasio in Italiam irruerunt, (fuit enim nu-

merus CC. millium) operæ precium hoc loco re-

ferre existimauimus, sunt autem hæc:

Tentauit Gethicus nuper delere tyrannus

Italiam, patrio ueniens iuratus ab Istro

Has arces æquare solo, tecta aurea flammis

Soluere, mastrucis proceres uestire togatos.

AVRELII PRVDENTII

*Iamque ruens Venetos turmis protriuerat agros,
 Et Ligurum uastarat opes, & amœna profundi
 Rura Padi, Thuscumque solum uictio amne premebat.
 Depulit hos equitum nimbus, non peruigil anser
 Proditor occulti tenebrosa nocte pericli,
 Sed uis cruda urum, perfractaque congre-dientum
 Pectora, nec trepidans animus succumbere leto
 Pro patria, & pulchram per uulnera querere laudem.
 Nunquid & ille dies Ioue contulit auspice tantum
 Virtutis precium? dux agminis, imperijque,
 Christi potens nobis iuuenis fuit, & comes eius,
 Atque parens Stilico, Deus unus Christus utrique.
 Huius adoratis altaribus, & cruce fronti
 Inscripta, cecinere tubæ, prima hasta dracones
 Præcurrit, quæ Christi apicem sublimior effert.
 Illic terdenis gens exitiabilis annis
 Pannoniæ pœnas tandem deleta pependit.
 Corpora famosis olim ditata rapinis
 In cumulos congesta iacent, mirabere seris
 Posteritas sæclis inhumata cadauera late,
 Quæ Pollentinos texerunt ossibus agros.*

Romam quoque ex Hispania profectum fuisse
 testatur ipse in libro περι στειφάτων, in Cassiani, Hyp-
 polyti, & Petri, & Pauli martyriis. Composuit au-
 tem multa quæ titulis Græcis ornare operæ pre-
 cium duxit, præter duos libros aduersus Symma-
 chum, ac Romani martyris tragœdiam. Ea vero
 sunt: Ψυχομαχία, hoc est, animi pugna, Heroico
 carmine, Ψυχή, enim Græce, Latine animus, & μά-
 χουμαι pugno. In eo enim libro vitia cum virtuti-
 bus pugnant, & succumbunt vitia. καθημερινόν, hoc
 est, diurnarum rerum opus. Sunt enim odæ ex va-
 rio metrorum genere à matutino ad vespertinum
 crepusculum. αποθεώσις, hoc est, diuinitas, deifica-
 tio, ἀποθεώω, deifico: est enim opus de rebus diui-
 nis. ἀμαρτιγένεσις, peccatorum origo, ἡ ἀμαρτία, pec-

catum, & γεννάω, genero. Scribit enim aduersus
 Marcionem hæreticum, qui duos esse deos dice-
 bat, alterum Veteris testamenti crudelem, sanguis-
 narium, ac pessimum: Noui alterum, pium, miseri-
 cordem, optimum: atque animos à bono, à malo
 corpora esse creata, pugnasſeꝛq; eos inter se, atque
 à malo bonum victum, animumq; in corpus im-
 missum, & hinc inter carnem & animum bella ge-
 ri intestina assidue: quod confirmabat his Apo-
 stoli verbis: Caro concupiscit aduersus spiritum,
 spiritus autem aduersus carnem. Id verò, quia fo-
 mes peccatorum, origoq; est, ἀμαρτιγένεα ei libello
 inditum est nomen. περὶ σεφάνων, hoc est, de coro-
 nis. Sunt enim hymni in laudem martyrum, qui
 quoniam legitimè certauerunt, coronis honesta-
 ti sunt. Διτοχᾶιον, duplex cibus, Διπλὸς, duplex, & ὄχι
 cibus. Sunt enim tituli historiarum veteris, & no-
 ui testamenti: atque hinc puto Dittochæum, hoc
 est, duplicem cibum appellatū hunc librum à Pru-
 dentio. Sed quoniam non sic excultus est, & ela-
 boratus hic liber, vt cæteri à Poëta cōpositi, sunt
 qui non esse Prudentii dicunt. Ego verò ipsum à
 cæteris separare non sum ausus: tum quia Genna-
 dius, qui post diuum Hieronymum scripsit de vi-
 ris illustribus, Dittochæum à Prudentio compo-
 situm dicit, tum etiam, quia in antiquissimo codice
 cæteris Prudentii operibus, quæ imprimenda cu-
 rauimus, insertus & hic erat libellus, & pro Ditto-
 chæum, Dirrochæum titulus, scriptorum culpa,
 quod coniicio facile: quia interpretatum inibi est
 antiquissimis characteribus, duplex refectio, pro
 duplex cibus. Scripsit etiam aduersus Symmachū
 libros duos Heroico carmine pulcherrimos, in
 quibus & doctrinam suam, copiamq; ac ingenium
 non mediocre ostendit. Erat autem hic Symma-
 chus vrbis Romæ præfectus, ac summa vir elo-
 quen

A V R. P R U D E N T I I V I T A .

quentia, qui ad Valentinianum & Theodosium, Arcadiumq; Imperatores legatus à Senatu missus, vt veteres deorum cultus reuocarentur, hac de re elegantem habuit orationem. Quæ impressa inter diui Ambrosii epistolas visitur, cui & Ambrosius prosa oratione, & Prudentius duobus libris heroico carmine compositis, aptè, copiosèq; respondent. Inquit quoque Gennadius Hezaëmeron de mundi fabrica, vsque ad

conditionem primi parentis, &

præuaricationem eiusdem

commentatum fuisse

Prudentium, quod

opus si venisset

in manus nostras, vnâ

cum cæ

teris prodieret

in publi-

cum.

∴

F I N I S .

GENNADIUS PRESBYTER
in catalogo virorum illustrium huius
ius Prudentii sic meminit.

Prudentius vir secularis literaturæ eruditus
composuit Dittochæum de veteri, & nouo
testamento personis excerptis. Commen-
tatus est & in morem Græcorum Hexaëmeron de
mundi fabrica, vsque ad conditionem primi ho-
minis, & præuaricationem eius. Composuit &
libellos, quos Græca appellatione prætitulauit,
ἀποδείξις, ψυχμαχία, ἀμαρτιγένεια, id est,
de diuinitate, de compugnantia animi, de origine
peccatorum. Fecit & in laudem martyrum sub ali-
quorum nominibus, Innitatorium ad martyrium
librum vnum, & Hymnorum alterum: speciali ta-
men conditione aduersus Symmachum, idolola-
triam defendentem, ex quorum lectione agno-
scitur Palatinus miles fuisse. Hæc Gennadius, vbi,
quia Dittochæum, & commentarios in He-
xaëmeron, cæteris præponit: hinc sub-
iungit, Composuit & libellos, an
Dittochæum aliud opus
fuitit, quàm nos scri-
psimus, quæ-
rendum.

F I N I S.

AURELII PRUDENTII
CLEMENTIS VIRI CON
SULARIS, IN Ψυχομαχίᾳ.
P R Æ F A T I O.

Carmen iambicum senarium acatalecticum, habens lo-
cis imparibus spondeum, Anapaestum, Iambum,
Tribrachum. Paribus uero Iambum, & non-
nunquam Anapaestum, in sexto
Pyrrhichium etiam.

v - v - - - v - - - v -

S Enex fidelis prima credendi via est
Abram beati seminis serus Pater,
Adiecta cuius nomen auxit syllaba,
Abram parenti dictus, Abraham deo.

Senile pignus qui dicauit victimæ, *Io. Sichard.*

Isaac intelligit, quem quum unicū filium, & posteritatis
quodammodo obsidem Abraham unicè diligeret, tanti ta-
men non fecit, ut eum sibi amorem pateretur apud Deum
obesse. Quin magis ita se gessit, ut dum patrijs affectibus,
quos in animos nō nisi maximos fuisse inducimus, paulū
in immolando filio abrenunciat, documentum dedit, quid
sacrificantes spectare debeamus posteri, nimirum quod
sit cordi præcipuè, id est, nosmetipsos.

Docens ad aram cum litare quis velit,
Quod dulce cordi est, quod pium, quod vnicum,
Deo libenter offerendum credito.

Pugnare nosmet cum prophanis gentibus
Suasit, suumq; suasor exemplum dedit,
Nec antè prolem coniugalem gignere
Deo *placentem, matre Virtute æditam, *parcē
Io. Sichard. Deo placentem) Vetustiora exemplaria non
placentem, sed parente habent, nec abludit quod sequitur,
matre Virtute æditam. Ut matrem Virtutem, & parentem
Deum, eo modo fere accipias, quo Cicero Laborē se sue
nobi-

nobilitatis parentem habere subinde repetit, contra eos,
qui cum nihil dispicerent quod in tanto uiro calumniaren-
tur, nouitatem, si Dijs placet, ausi sunt uitio uertere.

Quàm strage multa bellicosus spiritus
Portenta cordis sæuientis vicerit.

Victum feroces forte reges ceperant
Loth, immorantem criminosis vrbibus
Sodomæ & Gomorrhæ, quas fouebat aduena
Pollens honore patruelis gloriæ.

Abram sinistris excitatus nunciis
Andit propinquum sorte captum bellica,
Seruire duris Barbarorum vinculis,
Armat trecentos terq; senos vernulas,
Pergant vt hostis terga euntis cædere,
Quem gaza diues, ac *triumphus nobilis *trium
Captis tenebat impeditum copiis. phator

Quin ipse ferrum stringit, & plenus deo
Reges superbos mole prædarum graues
Pellit fugatos, fauciatos proterit,
Frangit catenas, & rapinam liberat,
Aurum, puellas, paruulos, monilia,
Greges equarum, vasa, vestem, buculas.

Loth ipse ruptis expeditus nexibus
Attrita *baccis colla liber erigit. *bagis

Abram triumpho dissipator hostici
Redit, recepta prole fratris inclytus,
Ne quam fidelis sanguinis profapiam
Vis pessimorum possideret principum.

Adhuc recentem cæde de tanta virum,
Donat sacerdos ferculis cœlestibus.
Dei sacerdos, Rex & idem præpotens,
Origo cuius fonte inenarrabili
Secreta, nullum prodit autorem sui.

Melchisedech, qua stirpe, quis maioribus
Ignotus, vni cognitus tantum Deo.

Mox & triformis Angelorum trinitas

Senis

AVRELII PRUDENTII

Senis reuifit hospitis mapalia.

*Et iam vieta Sarra in aluo fertilis

Munus iuuentæ mater exanguis frupet,
Hærede gaudens, & cachinni pœnitens.

Hæc ad figuram prænotata est linea,
Quam nostra recto vita resculpat pede,

Vigilandum in armis pectorum fidelium,

Omnemq; nostri portionem corporis,

Quæ capta fœdæ feruiat libidini,

Domi coactis liberandam viribus.

Nos esse large vernularum diuites,

Si quid trecenti, bis nouenis additis

Io. Sichard. si quid trecenti) Quid sibi uelit mysterium, sic enim Prudentius appellat, trecentorum bis nouenorum ab Abraham armatorū, nondum à quoquam, quod modò sciam, traditum est. Suspicio autem concilij Niceni significationem esse, in quo autoritate .CCC. XVIII. episcoporum, fidei nostræ sunt certa quædam, ut sic dixerim, descripta pomeria, cum antea in incerto pleraque posita, & hæreticorum calumnijs exagitata, huc illuc pro cuiusque libidine torquerentur. Vt uero in hanc sententiã eam, cum alijs, tum maxime uetustissimi exemplaris, quo sumus usi, effecerunt uestigia quædam. Non repugnauerim tamen, si aliò quis referat, quanuis non uideo, quid hic cuiquam in mentem uenire possit aliud.

Possint, figura nouerimus mystica.

Mox ipse Christus, qui sacerdos uerus est,

Parente natus alto, & ineffabili,

Cibum beatis offerens victoribus,

Paruam pudici cordis intrabit casam,

Monstrans honorem trinitatis hospitæ.

*cõple Animam deinde spiritus*connexibus,

xibus. Pie maritam, prolis expertem diu,

Faciet perenni fertilem de semine.

*Tunc *Tum Sarra dotem possidens puerpera,

sera Hærede digno patris implebit domum.

Senex

Senex fidelis) Carmen est trimetrum Iambicum senarium siue archilochium: recipiens in locis imparibus spondeum, anapestum, iambum, tribrachum: paribus uero iambum, nonnunquam anapestum. Scripturus uero poeta Psychomachiam, præmittit præmiū: in quo dicit, eum, qui per uirtutes sit cum uitijis decertaturus, debere in fide fundamenta iacere. Itaque affert historiā ex Genesi, dicens, quod Abraham à fide orsus est. Quia quem admodum cap. xij. legimus, cum apparuisset illi deus, dixissetque, ut egrederetur de terra & de cognatione sua & de domo patris sui: & quod daturus esset illi innumeram posteritatem, credidit monenti: & egressus inde cum tota familia sua uenit in terram Chanaan. & iterum cap. xv. ubi eadem repromissio ad Abraham facta repetitur, subdit: credidit Abraham deo, & reputatum est illi ad iustitiam: & quemadmodum post fidem acceptam cum quatuor illi reges, de quibus Cap. xiiii. prostrigassent fudissentque reges pentapoleos, id est, quinque illarum ciuitatum, quæ diuino postea iudicio perierunt: Loth quoque Abraham ex fratre nepotem, qui in Sodomis habitabat, cum omni substantia duxissent captiuum: cumque Abraham nuncio eius rei accepto expedisset trecentos decem & octo seruos uernaculos, regesque insecutus cecidisset, nepotemque cum præda recuperasset: Ita & nos cum uitijis decertaturi à fide auspicabimur: atque ita deum fide, quæ aliarum uirtutum est fundamentum, muniri, cum uitijis confligemus, & cetera quæ sequuntur.

Senex fidelis, ordo est, Abram senex fidelis, id est, qui fide potissimum censetur: qui, ut diximus, credidit Abraham deo. Pater serus, quia sero, hoc est, anno ætatis centesimo Isaac genuit: Est prima uia credendi, id est, quam credituri debemus imitari. Cuius nomen, scilicet Abram, syllaba adiecta scilicet ha, clemēto aspirato addito, siue potius interiecto, auxit nomen: ut ex Abram factus sit Abraham. Ideo subdit, Abram parenti dictus, id est à patre suo Tbare, Abraham deo, ex Genesi ca. xvii.

AVRELII PRUDENTII

dixit nanque illi Deus: non nocabitur nomen tuum *Abraham*, sed uocabitur *Abraham*. quia patrem multarum gentium constitui te. Hieronymus in libro *Hebraicarum* questionum hunc locum exponens, dicunt inquit *Hebraei*, quod ex nomine suo Deus, quod apud illos est tetragrammaton, hoc est, quatuor literarum, h literam *Abraham* dederit: dicebatur enim *Abram*, quod interpretatur pater excelsus: & postea appellatus est *Abraham*, quod est pater multitudinis: nam quod sequitur, gentium, non habetur in nomine sed intelligitur. Pignus senile, id est, *Isaac* filium, quem ut diximus *Abraham* centenarius genuit, pignus autem pro filiis saepe legimus. Dicitur uel *Etima*, id est, destinavit siue deuouit. *Vergil. ii. Aeneid.* & me destinat aræ. Cum litare, id est, sacrificio aliquid a Deo impetrare. Offrendum Deo credito, id est, cui credi necessarium est: id quod & ipse fecit: & reputatum est illi ad iustitiam. Dulce, pium, unicum, quæ tria fuerunt ex *Isaac* patri. Nam quid potuit dulcius esse *Abraham* filio in senecta ex uxore genito? quid obsequentius eo, qui patri se uictimam præbuit? Nam quod unicuique ex uxore fuerit, satis constat, cum ex *Agar* ancilla prius *Ismaelem*, & postea ex *Cetura* plures genuerit. Pugnare nos, sensus est: quod *Abraham* cum *Loth* captiuum audisset ab illis quatuor regibus qui pentapoleos fines ubi *Loth* habitabat populati sunt, collecta seruorum manu illos persecutus & nepotem restituit libertati & omnem prædam cum uictoria reportauit. Deinde centenarius ex *Sara* nonagenaria filium legitimum procreauit: poeta nunc moraliter rem gestam exponens dicit, quod quemadmodum *Abraham* profigatis hostibus genuit filium ex uxore: ita & nos superatis hostibus spiritualibus, qui sunt caro, mundus & demonia, debemus genere liberos legitimos, id est, opera uirtutis Deo placentia ex anima, quæ uitijs antea erat sterilis & oppressa, nunc uero illis expulsis libera. Dicit igitur: Suasit scilicet *Abraham* pugnare cum profanis gentibus, id est,

cum

cum uitijs : quemadmodum ille pugnanit cum quatuor re-
gibus. Prolem conjugalem, id est, ex uxore letigima, hoc
est anima uitijs libera : ut ille ex Sara Isaac genuit, ut
Apostolus ait, nõ secundum carnem sed ex promissione.
Spiritus bellicosus, id est, recta ratio & prudentia ui-
tiorum profligatrix. Vicerit portenta cordis, id est, ui-
tia & pestes animorum : quæ sibi in corde sedes fixe-
runt. Sed quia pugna illa quam Abraham pugnauit pro
liberando nepote nimis strictè pertractata est, iterum per
partes quo pacto res est gesta exponit. Vincitum feroces
& cætra. Sed argumentũ huius historiæ ex Genesi cap.
xiiii. deliniata est. Reges feroces, hi quatuor fuerunt,
Amraphel rex Senear, Arioch rex Ponti, Codorlogo-
mor rex Elamitarum, & Thadal rex gentium. Ceperant
Loth, cum popularentur fines pentapoleos, ubi forte for-
tuna eo tempore Loth habitabat. Criminosus, crimi-
ne illo pessimo quod ab ipsis cognominatum est. Fouebat,
illustrabat. Gloriæ patruelis, id est, Abraham patruis
sui, ac si dicat, quod Loth causa patruis sui & illustrabat
loca illa & honorabatur ab illius loci incolis. Sinistris
nuncijs, sinistrum nuncium afferentibus. Tercenos, id est
duo de uiginti. Hostis cunctis, id est, cum præda se in pa-
triam recipientis. Captis copijs, id est, aduersarijs pen-
tapoleos superatis. Graues, id est, onustos. Proterit, id est
proculcat & profligat. Catenas, quibus erat impeditus
Loth cum reliquis captiuis. Attrita baccis colla, quia an-
tea quam ab hostibus caperetur, gestabat monilia baccas-
ta, id est, gemmata. Vergilius primo Aeneid. colloq; mo-
nile baccatum. Prae fratris, id est, Loth qui erat filius
Aran fratris Abraham. Nequa uis, id est, ne aliqua uio-
lencia. Recentem de tanta cæde, id est, cruentatum, Vergi-
lius. ij. Aeneid. Me bello è tanto digressum & cæde re-
centi sacerdos. Melchisedech rex salem, qui Abraham
reportanti ex hostibus uictoriam occurrit offerens illi pa-
nem & uinũ. Ferculis cælestibus, alludit ad illud quod scri-
bitur psalmo. cix. Tu es sacerdos in æternum secundum

AVRELII PRVDENTII

ordinem Melchisedech: qui panem & uinum, hoc est, con-
 secrationis materiam Abraham uictori obtulit. sed cu-
 ius hic fuerit filius, ignoratur. Paulus in epistola ad He-
 braeos cap. 7. Melchisedech inquit, rex salē sacerdos Dei
 summi, qui obuiauit Abraham regresso à cade regū, &
 benedixit ei: cui & decimas omniū diuisit Abraham. Pri-
 mum quidem qui interpretatur rex iustitiæ, deinde rex
 Salem, quod est rex pacis, sine patre & sine matre, sine ge-
 nealogia, neque initium dierū neque finem uitæ habens,
 assimilatus autem filio Dei manet sacerdos in perpe-
 tuum. Hebræi referente Hieronymo in libris Hebraica-
 rum questionum, dicunt hunc fuisse sem filium Noc: &
 supputantes annos uitæ suæ, ostendunt ad Isaac usque
 ætatem peruenisse. Dicit itaque Dei sacerdos & c. & est
 ordo. Melchisedech dei sacerdos & idem rex præpotēs.
 Ignotus qua stirpe, quia (ut dicit Apostolus) sine patre,
 sine matre, sine genealogia. Itaque idem Hieronymus
 ad Euagriū scribens, ageonologon Melchisedech appel-
 lat. Quis maioribus, id est, quibus parentibus, auis, atæ
 uis. Reuisit mapalia & c. Melchisedech inquā. Cuius ori-
 go secreta, id est, quæ ignoratur. Fonte inenarrabili, id
 est, principio quod enarrari nō potest, iuxta illud Esaie,
 Generationem eius quis enarrabit? Nullum autore sui,
 id est, progenitorem. Prodit, id est, ostendit. Mox scilicet
 post oblationē panis & uini. Trinitas triformis angelo-
 rum. Ex Genesi cap. xviii. ubi legitur, quod apparuerūt
 Abraham tres Angeli in specie uirorum, sed quod ali-
 quando de tribus fit mentio quasi de uno, aliquando sin-
 gulatim quasi de pluribus, ita per tres Angelos trinita-
 tem intelligimus, sicut suprā per Melchisedech Christum
 Iesum. Mapalia, domos pastoricias. Vergilius. iii. Geor.
 rarīs habitata mapalia tectis. eadem & magalia dicen-
 tur. Et iam Sara, Abraham uxor, quæ interpretatur prin-
 ceptus, nam antea Sarai, id est, princeps mea dicebatur.
 Vieta, id est, languida & sine ui, hoc est naturalibus priua-
 ta uiribus ut exponit Festus. Cicero, II. de diuinatione,

bonis exile & exiguum & uictum cor. In aluo fertilis, quasi dicat, licet fronte rugis sulcata & reliquis uiribus corporis destituta, fecunda tamen erat. Mater exanguis quia in senibus sanguis est diminutus. Lucanus in .II. de Martia, dum sanguis inerat, dum uis materna peregi iussa Cato. Stupet munus iuuentæ, id est miratur se præstare officium iuuentæ, hoc est parere. Pœnitens cachinni, id est, risus, quando uidelicet risit post ostium tabernaculi, audiens ex Angelo quòd filium esset paritura, unde & Isaac risus interpretatur. Hæc ad figuram, ex historia superius enarrata infert sensum allegoricū, dicens: Hæc linea, id est, hæc historia quæ per quandam figurā ostendit nobis uiam, qua sit in hac uita proficiscendum ad alteram. Resculpat, quasi dicat historia ostendit nobis lineā, id est, semitam angustam, sed nos debemus eam resculpere, id est, atterendo dilatare pede recto non declinando ad dexteram neque ad sinistram. In armis, ita habent omnes codices, sed ut constet sensus in animis potius legendum est. Omnem portionem nostri corporis, id est, partis irrationalis, quæ membris & partibus corporis utitur, cum ab imperio rationis rebellat. Liberandam, id est, a uitiorum misera seruitute libertati uere restituendam. Viribus coactis domi, id est, uernaculis domesticis, quod & Abraham fecit. Quia ut Cicero dicit, in morbis corporis opus medico exteriori habemus, at in animi uitij remedija ipsa intra nos sunt, atq; illud in primis uelle curari: quare uires domesticas uocat prudentiam, solertiam, & eiusmodi uirtutes. Large diuites, id est, ualde copiosi. Figura mystica, id est, secreta & diuina. Trecenti bis nouenis additis, id est, trecentum decem & octo. Quid autem numerus ille significet, consulendus esset quispian pythagoricus, qui in huiusmodi rationibus numerorum uersatur. Sed ego nullum aliud mysterium uideo per Abraham comites significari, nisi trecentos decem & octo Episcopos illos qui in concilio Niceno interfuerunt, ubi multa de Christiana religione constituta sunt:

AVRELII PRVDENTII

*Sed imprimis de fide qua censetur Abraham, ibi nanque
 symbolum Nicenū est conflatum. Sacerdos uerus, qui se-
 cundum ordinē Melchisedech seipsum in specie panis &
 vini obtulit. Alto & ineffabili, sicut Melchisedech inco-
 gnito. Victoribus beatis, scilicet qui superauerunt animi
 uitia. Paruam casam, hoc est Abraham, per quem intelli-
 gimus uictorem uitiorum: qui tamen possit dicere, domi-
 ne non sum dignus ut intres sub tectum meum. Honorem
 trinitatis hospitiæ, quia honorificum est Abraham quòd
 trinitas in domum suam diuertat: & ita animam à uitijs
 purgare quòd sit templum trinitatis. Animam deinde.
 Ordo est, deinde Christus faciet animam maritam, id est
 copulabit illam sibi quasi sponsam. Connexibus spiritus,
 id est spiritus sancti copula. Diu expertem prolis piæ,
 id est sterilem bonorum operum, cum erat sub peccato-
 rum dominatione. Fertilem, id est fecundam, contra id
 quod dixit sterilem. Sara puerpera, id est anima prolis
 fecunda. Possidens dotem, qua fuit dotata, cum primum
 creata est, hoc est innocentiam. Implebit digno hærede,
 id est seipsa. Domum patris, id est regnum cæli, in quo
 nostra merces reposita est.*

AVR. PRVDENTII V. C. PSYCHO-
 MACHIE, IDEST, DE CON-
 PUGNANTIA ANIMI
 LIBER.

Christe graues hominum semper miserare
 labores,
 Qui patria virtute cluis, propriasq; sed vna.
 Vnum nanq; Deum colimus de nomine trino.
 Non tamen & solū, quia tu deus ex patre Christe.
 Dissere rex noster, quo milite pellere culpas
 Mens armata queat nostri de pectoris antro,
 Exoritur quoties turbatis sensibus intus
 Seditio, atq; animam morborum rixa fatigat.

Quod

Quod tunc præsidium pro libertate tuenda,
 Quæve acies furiis inter præcordia mixtis
 Obsistat meliore manu. Nec enim bone ductor
 Magnarum virtutum inopes, neruisq; carentes
 Christicolas vitiis populantibus exposuisti.
 Ipse salutiferas obfesso in corpore turmas
 Depugnare iubes, ipse excellentibus armas
 Artibus ingenium, quibus ad ludibria cordis
 Oppugnanda potens tibi dimicet, & tibi vincat.
 Vincendi præsens ratio est, si cominus ipsas
 Virtutum facies, & colluctantia contra
 Viribus infestis liceat portenta notare.

Inuocat & proponit.

Christe gra.) Tametsi in proœmio superiori Pruden-
 tius insinuauit, qua de re in hoc opere scripturus e-
 rat, cum poëtarum Latinorum moris sit, prius proponere,
 demde inuocare, tum demum prosequi opus institutum,
 hoc in loco simul inuocat & proponit, poëtas Græcos imi-
 tatus, ut Homerus in Iliade: Iram pande mihi Pelide diua
 superbi. & in Odyssea: Dic mihi musa uirum captæ post
 tempora Troiæ. Sed quia poëtarum est deos earum re-
 rum præsides, de quibus scripturi sunt, inuocare: Christū
 quo cum nobis humanitatis commercium est, quiq; per
 redemptionem uel peculiari quodam iure noster est do-
 minus, more poëtarum inuocat, ut nobis in hac pugna ra-
 tionis cum parte animi irrationali adsit, quando quidem
 ipse & per se & per nuncios suos Apostolos & Prophe-
 tas illud ipsum debere facere multis in sacra scripturæ
 locis hortatus est. Christe graues, a mulatio est Vergilia-
 na ex libro æneidos sexto, Phæbe graues semper nostros
 miserate labores. Qui patria uirtute cluis, id est pugnas
 & es potens, id enim cluere significat, unde & dei bra-
 chium in scriptura appellatur, & Apostolus illum por-
 tare omnia uerba uirtutis eius dicit, & qui centones
 ex Vergilij poëmate compegerunt, significanter patrem

B. iij.

ad

AVRELII PRVDENTII

ad filium loquentem inducunt: Nate meæ uires, mea magna potentia solus. Propriaque sed una: quia illa uirtus cum sit patris, est & propria filij, quia una & eadem est in utroque uirtus. Vnum nanque, per parentheses interponit duos uersus, reddens rationem cur eadem sit uirtus patris & filij, quia cum sit idem Deus essentia, est tamen trinus in personis, ideo subdit, non tamen & solum: neque enim satis est confuse unum & eundem solum deum confiteri, sed explicare personas in diuinis, ut solum referatur ad personam, ut sedulius solus de solo: itaque subiungit, quia tu deus ex patre Christe, subaudi, procedens per æternam generationem. Differere rex noster, ordo est, Christe rex noster differere. i. ostende: quo milite, quibus armis & auxilio: mens armata, de parte animi rationali intelligitur: queat pellere culpas, id est uitia quæ occupauerunt alteram partem animi rationis expertem, quod appellat antrum pectoris, id est recessum quemdam, ubi uitia sedes suas fixerunt. Exoritur quoties, quasi uelit dicere, ad expellendas animorum pestes: tunc profunt diuina præcepta, parentum cohibitiones, atque (ut ait Aristoteles) amicorum admonitiones atque consilia: cum sentimus eiusmodi bellum ultra nos geri, hoc est, in quibus incontinentia locum habet. Nam qui uitio stupet fibrisque increuit opimum pingue, demersus summa rursus non bullat in unda. Quod præsidium, significantius dixisset subsidium. Quæ acies, scilicet rationū, quibus utendum est contra appetitum: obsistat, opponatur: meliore manu, id est exercitu, à parte honestiore. Neque enim bone ductor, sensus est, neque enim credibile est, quod Simonides inquit, inuidisse Deum homini, faciendo illum tot morbis atque animorum pestibus obnoxium: quin potius propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, ut ait Apostolus, misisse filium suum, ut eos, qui sub peccati iugo erant, à misera uitiorum seruitute liberaret. Carentes neruis, id est uiribus. Vitijs populantibus, id est humanum genus euertentibus. Turmas salutiferas, id est,

uirtu

virtutes morales, quæ opponuntur vitiis. Ad ludibria cordis, id est, uanas aut perniciosas cogitationes, quæ nos illudunt. Tibi dimicet Quincat, id est, ad nominis tui gloriam. Præsens ratio, id est, in promptu & manifesta. Si liceat notare, id est, si mihi concedatur fingere atque ante oculos ponere: cominus, id est, prope, more illorum qui cōsisturi sunt. Facies uirtutum, id est, formas siue figuras. Et porteta, id est uitia, quæ tam sunt præter naturæ intentionem quàm hominē nasci bicipitem aut multipedē.

¶ FIDEI ET IDOLOLATRIÆ
PUGNÆ.

Prima petit campum dubia sub sorte duelli
Pugnatura Fides, agresti turbida cultu,
Nuda humeros, intonsa comas, exerta lacertos,

IO. SICH. Prima petit cam.) Commissurus ingenio
fissimus pœta Fidem cum Idololatria, utriusque uires,
atque armaturam describit, ita ut ex primo Fidei aspectu
facile tibi uictoriam pollicearis. Alacritate enim, quæ
uel maxime opus est in congressu, tanta fuisse dicit Fi-
dem, ut armorum oblita, ultro se hosti obiceret, nihil ue-
rita ne hosti omni armorum genere instructissimo suc-
cumberet. Eam uero nudam humeros, exertisque lacer-
tis quòd fingit, huc pertinet, ut intelligas ad officium ob-
eandum fide nihil esse promptius, eamque si semel in te
transuleris, nequaquam desidem esse, aut ignauam, aut
pugnam quanlibet plenam discriminis detrectantē. Expe-
dimus enim tum maximè manus, atque nudamus brachia,
cum operi alicui magno studio intenti, nihil spectamus
potius, quàm ut quoque primo momento supremam li-
ceat manum imponere, simulque circumspicimus necunde
præter opinionem accidat, quod conatus nostros refrim-
gat, aut debilitet.

Nanq; repentinus laudis calor ad noua feruens
Prælia, nec telis meminit, nec tegmine cingi.
Pectore sed fidens valido, membrisq; reiectis

Pro-

AVRELII PRVDENTII

Prouocat insani frangenda pericula belli.

Ecce laceffentem collatis viribus audet
 Prima ferire Fidem, veterum cultura deorum,
 Illa hostile caput, phalerataq; tempora vittis
 Altior insurgens labefactat, & ora cruore
 E pecudum satiata solo applicat, & pede calcat,
 Elifos in mortem oculos, animamq; malignam
 Fracta intercepti commertia gutturis arctant,
 Difficilemq; obitum suspiria longa fatigant.
 Exultat victrix legio, quam mille coactam
 Martyribus regina Fides animarat in hostem.
 Nunc fortes socios parta pro laude coronat
 Floribus, ardentiq; iubet vestirier ostro.

Prima petit) Opponit atque in certamen committit fidem, hoc est, christianam religionem atque gentilium impietatem culturamque deorum, quam primo congressu ponit fuisse superatam: ut significet uidelicet, in iis quæ ad conuellendū contra nos insurgunt, non esse dandum longis disputationibus, sed quod dicitur oculis clausis Andabatarū more pugnantes primo impetu rem conficere. Sub dubia sorte, non quod uictoria sit dubia fortiter pro fide pugnantem, sed ad naturam respexit, in qua fortuna plerunque dominari solet. Turbida, non quod per aliquam animi perturbationem in pugnam descendere: sed quod exarmata & nuda: utcunque illam sors offendit sola conscientia atque sui fiducia ad primum instantis pugnae clamorem concurrerit. Ideo dicit: Cultu agresti, id est inornato. Exerta lacertos .i. habens exertos ac promde ad consuetum magis expeditos lacertos. Noua prælia laudis, id est uictoriae, unde magnam laudem atque gloriam erat reportatura. Telis, armis ut uulgo dicitur offensiuis. Tegmine, id est, armis defensiuis. Membris reiectis, id est nudis atque exarmatis. Pericula frangenda, id est, periculosum hostem: sed tamen facile profligandum, Laceffentem, scilicet fidem prouocans

cantem illam ad certamen. Collatis uiribus, id est confertis in pugna. Veterum deorum, quia idololatria iam inde à prima Assyriorum monarchia incepit. Illa scilicet fides, insurgens altior, ut scilicet maiori conatu ictum infligeret. Labefactat, id est dissipat atque dissoluit. Phalerata tempora, id est adornata: cū tamen proprie equorum ornamenta sint phaleræ. Vitis, id est uelaminibus sacris, quibus in sacrificijs utebantur. Et applicat solo, id est in terram deprimit. Ora satiata de cruore pecudum, quas sacrificantes Dijs immolabant. Et pede calcatur oculos, id est cum oculis totum caput. Elisos in morte, id est dissipatos ex pedum conculcatione. Vergil. 8. Aeneid. angit inherens Elisa oculos & siccū sanguine guttur. Commercium gutturis, id est uicissitudo expirandi & respirandi quæ per guttur fit. Intercepti pro interclusi. Animam malignam, id est spiritū tenuem: quemadmodum Verg. 6. Aeneid. sub luce maligna dixit, pro angusta. Suspiria longa, id est singultus mortis. Obitum difficilem, id est uiolentum. Vergil. 4. Aeneid. longum miserata laborem difficilemque obitus. Legio scilicet martyrum: per quos fides impietatem gentium superauerat. Coacta, constipata & coadunata. Animarum, incitatur. Iuuenal. animante tuba galeatum sero duelli pœnitet. Floribus, fertis ex floribus cōtextis. Vestirier, paragoge est pro uestiri. Ostro ardenti, id est purpura siue murice splendenti. Vergil. 4. Aeneid. Tyrioque ardebat murice lana.

¶ PUDICITIÆ, ET LIBIDINIS

P V G N A.

EXin gramineo in campo concurrere prompta
Virgo Pudicitia, speciosis fulget in armis:

Quam patrias succincta faces Sodomita Libido

IO. SICH. Quam patrias succincta faces) Furias
finxit uetustas facibus armatas, uidelicet quod impellendorum ad quoduis flagitium hominum istas animos face-
re traderent. Re autem uera conscientia sunt hominum,
alicuius sceleris sibi conscia, quenque enim sua fraus

AVRELII PRUDENTII

impellit, ac de sanitate mentis deturbat, ut in Pisonē Cicerō dicit. Libidinem uero qui potuisset Poëta magis è dignitate sua armasse, quàm cum ei facem tribuit, non secus ac Furia cuidam, qua speret se, postquã uidet alijs armis nihil profici, depulsura è pristino mentis statu Pudicitiam? quid enim aliud auderet elumbis libido, stupris perditã, in ea maxime quam ob accuratiorem apparatus non uidebat ullis telis fore præterea obnoxiam?

Aggreditur, piceamq; ardenti sulphure pinum
Ingerit in faciem, pudibundaq; lumina flammis
Appetit, & tetro tentat suffundere fumo.

Sed dextram furiaë flagrantis, & ignea diræ
Tela lupa saxo ferit imperterrita virgo.
Excussasq; sacro tēdas depellit ab ore.

Tunc exarmatæ iugulum meretricis adactō
Transfigit gladio, calidos vomit illa vapores,
Sanguine concretos cœnoso : spiritus inde
Sordidus exhalans vicinas polluit auras. (mus

*Hoc *Hoc tibi habe, exclamat victrix regina, supre-
habet Hic tibi finis erit, semper prostrata iacebis,

Nec iam mortiferas audebis spargere flammæ
In famulos famulasue Dei, quibus intima casti
Vena animi sola feruet de lampade Christi.

Tē ne, ô vexatrix hominum, potuisse resumptis
Viribus extincti capitis recalescere flatu?

Affyrium postquam thalamum ceruix Olopherni
Cæsa cupidineo madefactum sanguine lauit.

Gemmatumq; torum mæchi ducis aspera Iudithi
Spreuit, & incestos compescuit ense furores.

Famosum mulier referens ex hoste trophæum
Non trepidante manu vindex mea cœlitus audax.

At fortasse parum fortis matrona sub vmbra
Legis adhuc pugnās, dum tempora nostra figurat
Vera, quibus virtus terrena in corpora fluxit,
Grande per infirmos caput excisura ministros.

Fas

Nunquid & intactæ post partum virginis vllum
 Fas tibi iam superest? post partum virginis, ex quo
 Corporis humani naturam & prisca propago
 Deseruit, carnemq; nouam vis ardua seuit. *Pristina
origo
 Atque inupta deum concepit fœmina Christum,
 Mortali de matre hominem, sed cum patre numẽ.
 Inde omnis iam diua caro est, quæ concipit illum,
 Naturamq; Dei consorti fœdere sumit:
 Verbum quippe caro factum, non destitit esse
 Quod fuerat verbum, carnis dum glutinat vsum,
 Maiestate quidem non degenerante per vsum
 Carnis, sed miseros ad nobiliora trahente.
 Ille manet quod semper erat, quod non erat, esse
 Incipiens. Nos quod fuimus, iam nõ sumus, aucti
 Nascendo in melius: mihi contulit, & sibi mansit.
 Nec Deus ex nostris minuit sua, sed sua nostris
 Dum tribuit, nosmet dona ad cœlestia vexit.
 Dona hæc sunt, *quis victa iaces lutulenta libido, *quod
 Nec mea post Mariam potis es perfringere iura.
 Tu præcepit ad mortis iter, tu ianua lethi,
 Corpora cõmaculans, animas in tartara mergis.
 Abde caput tristi iam frigida pestis abyfso,
 Occide prostibulũ, manes pete, claudere Auerno,
 Inq; tenebrosum noctis detrudere fundum.
 Te voluant subter vada flammea, te vada nigra,
 Sulphureusq; rotet per stagna sonantia vortex.
 Nec iam Christicolas, furiarum maxima, tentes,
 Vt purgata suo seruentur corpora *Regi. *Christo.
 Dixerat hæc: & læta libidinis interfectæ
 Morte Pudicitia, gladium Iordanis in vndis
 Abluit infectum, sanies cui rore rubenti
 Hæserat, & nitidum macularat vulnere ferrum.
 Expiat ergo aciem fluuiali docta lauacro
 Victricem victrix, abolens baptismate labem
 Hostilis iuguli, nec iam contenta piatum
 Condere vagina gladium, ne tecta rubigo

AVRELII PRUDENTII

Occupet. Ablutum scabrosa sorde nitorem
Catholico in templo diuini fontis ad aram
Consecrat, æterna splendens vbi luce *niteſcat.

*coruſcet

IO. SICH. Cathol. in temp.) More dixit ueterū, qui
ſicubi res bene proceſſiſſet foris, reuerſi incolumes, arma
ſoliti ſunt ſuſpēdere in fanis deorū, uel ut eſſent ad uirtu-
tem poſteris documēto, uel ut gratos ſe erga Deos exhi-
berēt, quorū beneficio rem bene cecidiſſe ſibi pſuaſerāt.

EXIN gramineo) ſecundus pudicitia cum libidine
conſiſtus : quam noſtri tertiam animorum peſtem
faciunt : hoc eſt, luxuriam : cum ſit luxuria aliud, quem-
admodum infra dicemus. Concurrere prona, id eſt, pro-
cliuſ & parata ad concurrendum cum libidine. Sodo-
mita libido, id eſt, quæ diu uerſata eſt Sodomis urbe illa
pentapoleos infami impuratae libidinis uitio, quam So-
domitam genere fœminino protulit, cum ex forma decli-
nationis græcæ, id quod alicubi diximus, generis ſit tan-
tum maſculini : nam fœminino Sodomitis Sodomitidis
potius diceretur. Succincta faces, id eſt, habens faces
ignis ſuccinctas, ſic enim exponi ſolet ſynecdoche per
participium, ſed hic improprie pro ipſa ſuccincta, id eſt,
expedita habens faces. Faces patrias, id eſt, intinctas
bitumine ſulphureo, quod asphaltites lacus, hoc eſt, mare
quod Hebræi uocant mortuum exudat : ubi Sodoma cum
alijs quatuor urbibus incendio abſumptæ ſunt : itaq; pa-
trias appellauit, cum ipſa libido Sodomita ſit patria nata
lique. Ardenti ſulphure : ex bitumine quod diximus. Pi-
num picæam, id eſt, facem ex pinu arbore in cuius gene-
re numeratur picæa : Vergil. V. Aeneid. Procumbunt pi-
cæa, ſonat iſta ſecaribus ilex. Appetit. pro impetit &
inuadit. Pudibunda, uerecunda in bonam partem acci-
pienda. Ignea tela, id eſt, faces pineas ex ſulphure in-
cenſas. Lupæ diræ, id eſt, meretricis, ſic enim apud an-
tiquiores dicebatur, unde & lupanaria dicta ſunt. Iuue-
nalis. Ite quibus grata eſt picta lupæ barbaræ mitra. Te-
das

das, illas faces igneas. Transfigit, traicit atque transuerberat. Gladio adacto, id est, impulso ac impresso. Vapores concretos sanguine, id est, spiritum sanguine commixtum emittit. Vergil. ii. Aneid. Squallentem barbam, concretos sanguine crines. Cœnoso, id est, ad cœni similitudinem crasso & turpi. Inde, ex iuguli transfossi uulnere. Hoc tibi habe, subaudi uulnus. Terentius in Andria: habet, captus est: quod Donatus pro uulnerato est illo in loco exponit. Flammæ mortiferas, id est, uenerem & amores ad mortem æternam perducentes. Vena intima, pro iecore posuit. Vergil. iiii. Aneid. Vulnus alit uenis & cœco carpitur igni. Lampade Christi, id est, amore casto nõ uenero. Iuuenal. Nec pharetris ueneris macer est, aut lampade feruet. Tene ouexatrix. pudicitia uictrix amare atque hostiliter increpat libidinem profligatam. Potuisse, subaudi decuit. Vergil. i. Aneid. Me ne Iliacis occumbere campis non potuisse. Recalescere flatu, id est, reuiuiscere spiritu. Capitis extincti, ac si dicat, quo tempore Iudith amputauit caput Holophernis, tu quoque cum illo pariter extincta es, quomodo igitur nunc reuiuiscis atque pristinas uires resumis? Assyrium thalamum, quia Holophernes dux erat Nabuchodonosor Assyriorum regis. Lauit sanguine, id est, commaculauit. Moechi ducis, id est, qui uolebat esse moechus, ut Vergil. Quos ego sum toties iam dedignata maritos. Famosum tropheum, uictoriam insignem. Mea uindex, id est, quæ me in libertatem asseruit, quia ulta est. Cœlitus audax, quia illud præclarum facinus non potuit absolui sine cœlesti quodam auxilio. At fortasse parum fortis, imò fortiter pro pudicitia rem gessit: quauis sub lege ueteri in qua pudicitia non tantopere commendabatur, sed nimium inquit illa figura nouæ legis erat, in qua uirginitas uiduitati, continentia nuptijs præfertur, contra prisca legis consuetudinem. Sub umbra legis, id est, lege umbratili & quæ figura erat legis solidæ, ueræ, & expressæ: quia ut inquit Apostolus ad Corinthios prima, Omnia in figura contingebant illis

AVRELII PRVDENTII

illis. Quibus scilicet temporibus: Virtus uera, non fucata,
 non adumbrata, ut in lege ueteri: in qua probro dabatur
 filios nō gignere. Fluxit in corpora terrena, id est illapsa
 est in homines. Excisura grande caput, sumptum est ex
 eo quod scribitur .1. Corm. 1. Elegit deus infirma mun-
 di huius, ut fortia quæque confunderet. Nunquid & in-
 tacte libidinem nihil iuris habere in corpora humana o-
 stendit, postea quàm uerbum diuinum incarnatum, uel ut
 dicunt Græci, humanatū est: propterea quòd ex carnis
 humane commercio cum diuinitate sumus quodammodo
 consecrati. Vllum fas superest, id est, relicta est tibi ulla
 facultas aut potestas? quasi diceret nulla, nisi quatenus
 homines uinci se uolunt. Ex quo, subaudi tempore, uel ex
 quo partu. Propago prisca, id est uetus homo subiectus
 morti propter peccatum. Deseruit naturam, id est, mu-
 tauit conditionem. Vis ardua, id est, diuina, hoc est, uere-
 bum. Seuit nouam carnē, id est inseuit. quid si legas sum-
 psit? Cum patre numen, id est, deum ex patris substantia:
 & hominem ex substantia matris. Caro diua est, id est,
 diuinitatis facta particeps & sacrata. Quæ cōcipit illum
 ut referatur ad totam speciem: non ad numerū. Consortii
 fœdere, id est communi societate: quod quemadmodum
 factum sit, & quid inde sequatur, multis modis exponit.
 Dum glutinat, id est sibi coagmentat & connectit. Vsum
 carnis, id est, carnem, quæ ueluti instrumēto quodam uti-
 tur. Non degenerante, id est, in deterius mutata, nam illa
 degenerare dicuntur, quæ sui generis principio nō respon-
 dent. Iam non sumus, imò ydem sumus: sed aucti nascen-
 do in melius, id est, conditionem nobiliorem. Mihi contu-
 lit, id est, mihi aliquid dedit, & ipse nihil amisit, quod ad-
 huc alijs uerbis explicat magis. Hæc sunt dona, id est, be-
 neficia homini à deo concessa. Quis pro quibus. Lutulen-
 ta, luto plena & immūda. Post Mariam, id est, Mariæ fœ-
 eundam uirginitatem. Perstringere, id est, uel leuiter tan-
 gere & uiolare. Præceps, actiue pro præcipitās, siue præ-
 cipitanter impellens. Pestis feruida ad ueneris igneam uā

auram retulit. Abde caput, id est, mergere siue mergaris. Occide prostibulum, id est, morere ò meretrix: sic enim meretrices uocantur prostibula à prostando. Manes pette, id est, inferos. In fundum noctis, id est, in profunditatem inferorum. Verg. Pallentes umbras Erebi noctemque profundam. Vada flammea, id est, Phlegeton fluius inferorum qui flammeus interpretatur. Vada nigra, Erebum intelligit: de quo Verg. Imas Erebi descendit ad umbras. Vortex sulphureus, ad eundem Phlegetonta retulit, de quo Verg. Qui rapidus flammis ambit torrentibus amnis tartareus phlegeton. Furiarum maxima. Verg. Furiarum maxima iuxta accubat. Iordanis in undis, quæ sunt Christi baptisate consecrata. Sanies hæserat, id est, sanguis corruptus: quippe qui extra uenas. Rore rubenti, id est, sanguine roranti. Vulnere, id est, uulkeris cruore. Virgo docta, id est, quæ huiusmodi armorum polituram bene nouerat. Aciem uictricem, id est, gladium quo ipsa fuerat uictrix. Labem hostilis iuguli, id est, maculam ex libidinis cruore. Baptisate, id est, ablutione & intinctu: nam baptizare est unguere siue mergere: alludit tamẽ ad baptisma quo uestigia peccati abluuntur. Tecla rubigo, id est, gladij scabritia, quæ ex uagina tegumento citius irrepit. Consecrat nitorem ablutum, id est, gladium nitentem & politum. Sorde scabrosa, id est, quæ gladijs scabriaciem superinducit. Ad aram diuini fontis, id est, Iordanis Christi baptisate consecrati, & tangit consuetudinem illorum, qui artis suæ instrumenta emeriti deo consecrabant, in cuius erant tutela. Horat. i. epi. Veianias armis Hercules ad postem fixis lætet abditus agro.

PATIENTIÆ ET IRÆ CON-
GRESSVS.

ECCĒ modesta graui stabat Patientia vultu,
 Per medias immota acies, variosq; tumultus,
 Vulneraq; & rigidis vitalia peruia pilis
 Spectabat defixa oculos, & lenta manebat.
 Hanc procul Ira tumens spumanti feruida rictu,
 C Sane

AVRELII PRVDENTII

Sanguinea intorquens suffuso lumina felle,
 Ut belli exortem, teloq; & voce laceffit,
 Impatiensq; moræ conto petit, increpat ore,
 Hirsutas quatiens galeato in vertice cristas.

En tibi Martis, ait, spectatrix libera nostri,
 Excipe mortiferum securo pectore ferrum,
 Nec doleas, quia turpe tibi gemuisse dolorem.

Sic ait, & stridens sequitur conuicia pinus
 Per teneros crispata Notos, & certa sub ipsa
 Defertur stomachum, rectoq; illiditur ictu,
 Sed refilit duro loricæ excussa repulso.

Prouida nam Virtus conferto adamante trilicem
 Induerat thoraca humeros, squamosaq; ferri
 Texta per *intortos commiserat vndique neruos.

*innu-
 meros,

Inde quieta manet Patientia, fortis ad omnes
 Telorum nimbos, & non penetrabile durans,
 Nec mora est iaculo monstri sine more furentis,
 Opperiens propriis perituram viribus iram,
 Scilicet indomitos postquã stomachãdo lacertos
 Barbara bellatrix impenderat, & iaculorum
 Nube superuacuam lassauerat irrita dextram,
 Cùm ventosa leui cecidissent tela volatu,

*Iactibus

*Ictibus & vacuis hastilia fracta iacerent. (rusco
 Vertitur ad capulũ manus improba, & ense co-

Connixa in plagam, dextra sublimis ab aure
 Erigitur, mediumq; ferit librata cerebrum,
 Ærea sed cocto cassis formata metallo
 Tinnitum percussa refert, aciemq; retundit
 Dura resultantem, frangit quoq; vena rebellis
 Illisum chalybem, dum cedere nescia, *cassos
 Excipit assultus, ferienti & ruta resistit.

*cassis

Ira, vbi truncati mucronis fragmina vidit,

IO. SICH. (Ira ubi truncati mucronis) Prodeat Apel
 les aliquis, qui tam penicillo exprimat iracundiam, quam
 suis coloribus semel est ob oculos posita ab elegantissimo
 poete

poëta. Ensis enim fractus in minutas partes, quid aliud præ se fert, quam iratorū consilia plerunq; obesse, quum pro magna aliqua laude, aut victoria decertent? neq; iniuriam esse creditum, in medijs quoque armis esse animo locum placidiori: qui nisi adsit, accidere sæpenumero, ut adducti iracundia aliquò nos præcipitemus, unde re nostra integra emergere non liceat, fallantque nos non raro, cladisque sunt causa, quibus confisi potissimum in harenam descendimus. Huc etiam pertinet, quòd suo semet fingit telo incumbere, dum dicit: Ipsa sibi est hostis uæfania, seque furendo interimit.

Et procul in partes enses crepuisse minutas,
Iam capulum retinente manu sine pondere ferri,
Mentis inops, ebur infelix, decorisq; pudendi
Perfida signa abiicit, monumentaq; tristia longe
Spernit, & ad proprium succeditur effera lethum,
Missile de multis, quæ frustra sparserat, vnum
Pulvere de campi peruersos sumit in vsus,
Rasile figit humi lignum, ac se cuspe versa
Perfodit, & calido pulmonem vulnere transit.

Quam super assistens Patientia, Vicimus, inquit,
Exultans vitium solita virtute sine villo
Sanguinis, ac vitæ discrimine: lex habet istud
Nostra genus belli, furias, omnemq; malorum
Militiam, & rabidas tolerando extinguere vires.
Ipsa sibi est hostis Vefania, seq; furendo
Interimit, moriturq; suis Ira ignea telis.

Hæc effata, secar medias impunè cohortes,
Egregio comitata viro: nam proximus Iob

IO. SICH. Egregio comitata viro) Quid, quaeso, ac commodatius potuit fingi, q̄ patientiæ, ei inquam, quæ se mel sibi quicquid humanitatis accidisset imperarit infracto animo perpeti, addere satellitem Iob laborum, periculorumq; omnium tanquam fidum aliquem Achatem. Cuius tantam legimus incommodorū omniū fuisse tolerantiam,

AURELII PRUDENTII

ut quum à fortuna miris exagitaretur modis, nihilo tamē
secius sibi placeret, quàm re integra: quippe occallere
didicerat animus, malorum iam subinde aliorum usū, &
quodam ueluti commercio. Videbat autem hæc una in re
homo mirè perspicax, non esse ullū uictoriæ genus plausi-
bilis, quàm quum hostes uel desperatione, uel pœnitudinē
adductos, cogimus patientia nostra sibi tandem infer-
re manus: quemadmodum iram ultro tandem in telum
incumbentem poeta describit.

Hæserat inuictæ dura inter bella magistræ,
Fronte seuerus adhuc, & multo funere anhelus.

Sed iam clausa truci subridens uicera vultu,
Perq; cicatricum numerum sudata recensens

Millia pugnarum, sua præmia, dedecus hostis.

Illum Diua iubet tandem requiescere ab omni

*quæq; Armorum strepitu, captis, & perdita *qua sunt
Multiplicare opibus, nec iam peritura referre.

Ipsa globum legionum, & concurrentia rumpit

Agmina, vulniferos gradiens intacta per imbres,

Omnibus vna comes virtutibus associatur,

Auxiliamq; suum fortis Patientia miscet.

Nulla anceps luctamen inuit virtute sine ista

Virtus, nam vidua est, quam non patientia firmat.

Ecce modesta) Tertius patientiæ cum ira conflictus
quam nostri quartam animorum pestem dicunt.
Grati uultu, id est sereno & constanti. Defixa oculos, id
est in terrâ deiectos: quod ipsum constantiæ signum est.
Vergil. vi. Aeneid. illa solo fixos oculos auersa tenebat.
Spectabat uulnera, quæ ab omnibus inuicem infereban-
tur. Et uitalia, subaudi membra. Peruia, id est exposita
armorum incurSIONIBUS. Et manebat lenta, id est immo-
bilis & otiosa. Ira tumens, proprium iræ epitheton. Fer-
uida rictu spumanti, id est, propter calorem per ora spu-
mas emittens. Intorquens lumina, id est huc atque illuc
uoluens oculos, contra id quod de patientia dixit, defixa
ocul

oculos. Sanguinea. Vergil. Sanguineam nolens aciem.
 Suffuso felle, id est mixto cum sanguine. Lacescit hanc,
 id est, prouocat ad pugnam patientiam. Telo & uoce, id
 est, armis & uerbis. Ut exortem belli, quasi inuidens illi,
 quod significauit per illud quod dixit, suffuso felle, cum
 uideret illam immunem belli. Impatiens moræ, id est, non
 potis se continere. Iuuenal. Impatiensque moræ pauet.
 Conto petit, id est hasta. Increpat ore, quod dixit, teloq;
 & uoce lacescit. Quatiens cristas hirsutas, id est, ex equi-
 na cauda. Vergil. Caudaque hirsutus equina. & alio in
 loco. Cui triplici crinita iuba, galea alta. In pectore se-
 curo, id est, sine belli cura, quia turpe, non quod ita putat
 ira, sed quod patienti id se facere iactat: ut sit dictum
 per ironiam. Pmus stridens, id est, cum stridore uolans.
 Crispata, id est, uibrata & tremens. Per Notos teneros,
 id est peruios, quid si legas tenues. Vergil. Tenues in uen-
 tos uita recessit. Certa, id est non frustrata iectum desti-
 natum. Illuditur ictu recto, id est in nullam partem aliam
 deflexo. Resilit, id est, resultat & repercutitur. Indue-
 rat thoraca, de eadem armatura dixit lorica & thoracem:
 cum lorica proprie sit ex hamis contexta, thorax ex
 corio. sed Varro lorica inquit quod è loris de corio cru-
 do pectoralia faciebant, postea succederunt Galli è ferro
 sub id uocabulum ex anulis tunicam ferream. Trilicem
 thoraca. Vergil. de lorica libro .5. Leuibus huic hamis
 confertam auroque trilicem lorica: cum sit corio cru-
 do. Martial. Accipe belligeræ crudum thoraca Mimeræ
 uæ. Squamosa texta, idem dicit sed alijs uerbis, nam
 nihil aliud est lorica ferri, quam annuli siue hami ferrei
 contexti in modum squammarum. Commiserat, id est con-
 nexuit & coagmentauit. Iuuenal. Eadem plumbo com-
 missa manebit. Per neruos intortos, quia forte ad maio-
 rem lorica securitatem nerui interponebantur hamis fer-
 reis. Inde, scilicet ex armaturæ firmitate. Telorum nim-
 bos, id est ad tela cadentia in modum grandinis siue plu-
 uie. Durans non penetrabile, nomen pro aduerbio, pro

AVRELII PRUDENTII

impenetrabiliter, uel potius genus posuit pro genere, ut
 sit non penetrabile pro non penetrabilis. Mota est, id est
 perturbata. Opperiens, id est expectans. Stomachando, id
 est irascendo. Impenderat lacertos, id est, consumpserat
 uires. Irrita, delusa & frustrata sua spe. Lassauerat, id
 est, usque ad lassitudinem fatigauerat. Nube iaculorum,
 quod supra dixit, telorum nimbos. Ventosa tela, id est per
 uentos uolitantia. Ictibus uacuis, id est otiosis & finem
 suum non consequentibus. Ad capulum, id est ad enssem
 qua parte capitur cum stringendus est. Connixa ab aure
 dextra, graphice morem ferire uolentium exprimit. Oui
 dius pri. Metamorph. Retundit aciem, id est, hebetat gla
 dij acumen. Vena rebellis, id est galca ærea resistens: nam
 ex uenis terræ effoditur æs & ferrum. Chalybem illisum
 id est enssem impactum. Nescia cedere, id est, perforari
 & uinci. Excipit assaultus, id est ictus iræ assilientis. Mus
 cronis, id est ensis. Crepuisse, id est, cum crepitu dissiluis
 se. Capulum, solum sine lamina ferri. Mentis inops, id est
 præceps & sine consilio. Ebur infelix, id est capulum ex
 ebore quo infeliciter usa est. Signa perfida, id est capu
 lum in quo erant signa & imagines ebori impressæ, quæ
 tamen perfida uocat, quia illis non erat fidendum utpo
 te falsis. Decoris pudendi, id est ornamentum ex quo plus
 ignominie quam laudis retulit. Monumenta tristia, id est
 quæ tristem recordationem illi afferebant: quoniam il
 lorum defectu uicta fuit. Effera, id est furiosa & ueluti
 ferarum rabie percita. Vnum missile, id est, iaculum. In
 usus peruersos, id est in perniciem suam uersos, cum illos
 antea in patientiam iaculata fuisset. Rasile lignum, id est
 hastam politam ac leuigatam. Cuspide uersa, subaudi con
 tra seipsam. Transit, pro traicit & penetrat. Verberere ca
 lido, id est hasta sanguine calefacta. Vicimus uitium, id
 est iram uitiosam: nam ira per prudentiam moderata non
 est uitiosa, ut Peripatetici ostendunt, quin potius in mans
 uetudinem refertur, ut probat Aristoteles in tertio Ethi
 corum libro. Vis ignea, diffinitio est iræ: hoc est, ascensio

flo sanguinis circa cor. Secat cohortes, id est transit. Ver
 gil. Littus harenosum Libyæ uentosque secabat. Iob hau
 serat, qui potissimum patientia commendatur. Fronte se
 uerus, id est tristis & rugosus. Anhelus præ nimio labo
 re sudans. Ulcera clausa, in cicatricem coeuntia. Truci uul
 tu subridens, significat in illo tristitiam lætitiæ fuisse mix
 tam. Per numerum cicatricum, id est, multitudinem pla
 garum. Milia pugnarum sudata, id est, cum sudore suo
 deuicta. Sua præmia, appositio est, id est, suam uictoriam
 & laudem. Dedecus hostis, scilicet impatientia & ira.
 Multiplicare, quia omnia quæ illi fuerant rapta, reddita
 sunt duplicia. Nec peritura, id est, permansura semper.
 Per imbres uulniferos scilicet telorum, sic supra ex eadē
 translatione dixit telorum nimbos & iaculorum nubem.
 Vna comes, uirtutibus. Est nanque patientia (quemadmo
 dū in rhetoricis à Cicerone diffinitur) honestatis aut uti
 litatis causa rerum difficultū uoluntaria ac diuturna per
 pssio, quod in omni uirtute necessarium est: quia uirtus
 & ars circa difficile uersantur.

SUPERBIAE, ET HUMILITATIS
 PUGNÆ.

*Forte per effusas inflata Superbia turmas *Morte
 Effreni volitabat equo, quem pelle leonis
 Texerat, & validos villis onerauerat armos:
 Quò se fulta iubis iactantius illa ferinis
 Inferret, tumido despectans agmina fastu:
 Turritum tortis caput accumulabat in altum
 Crinibus, extractos augetet ut addita cirros
 Congeries, celsumq; apicem frons ardua ferret.
 Carbæsea ex humeris summo collecta coibat
 Palla sinu, teretem nectens à pectore nodum.
 A ceruice fluens tenui velamine limbus
 Concipit *infestas textis turgentibus auras. *ingestas
 Nec minus instabili sonipes feritate superbit
 Impatiens madidis frenarier ora lupatis,
 Huc illuc frendens obuertit terga, negata

AVRELII PRVDENTII

Libertate fugæ, pressisq; tumescit habenis.
Hoc sese ostentans habitu ventosa virago
Inter vtranq; aciem supereminet, & phaleratum
Circumflectit equum, vultuq; & voce miuatur.

Aduersum spectans cuneum, quem milite raro,
Et paupertinis ad bella coegerat armis
Mens humilis, Regina quidem, sed egens alieni
Auxilii, proprio nec sat confisa paratu
Spem sibi collegam coniunxerat, ædita cuius
Et suspensa ab humo est Opulentia diuite regno.
Ergo humilem postq; malefana Superbia mentem
Vilibus instructam nullo ostentamine telis
Aspicit, in vocem dictis se fundit amaris.

Non pudet ô miseri plebeio milite claros
Attentare duces? ferroq; laceffere gentem
*telis Insignem *titulis? veteres cui bellica virtus
Diuitias peperit: lætos & gramine colles
Imperio calcare dedit: vnde aduena nudus
Nititur antiquos (si fas est) pellerè Reges.
En, qui nostra suis in prædam cedere dextris
Sceptra volunt, en qui nostros sulcare nouales,
Aruaq; capta manu popularier hospite aratro
Contendunt, duros & pellerè Marte colonos.
*hoc Nempe *ô ridiculum vulgus, natalibus horis
Totû hoïem, et calidos à matre amplectimur art?

IO. SICH. Totum hominem, & calidos.) Enarrans
superbia opum, virium, fortunarumque genera, quibus
contra hostem affatim instructa ueniat, hoc etiam nō præ
terit, quod ad deterrendam à congressu Humilitatem uel
maxime ualeret: Nimirum eam se esse perhibens, cuius
uon moda non sit recens inuecta autoritas, aut quæ iam
nunc demum Regina esse incipiat, sed quæ à teneris, ut
sic dixerim, unguiculis hominem in possessione detineat.
Simul enim atq; est aliquis in lucem æditus, quædam præ
se fert non obscura superbiæ argumēta, etiam tum quum
ne quidem satis uagire dedidicerit.

Vims

Vimq; potestatum per membra recentis alumni
 Spargimus, & rudibus dominamur in ossibus oēs.
 Quis locus in nostra tunc vobis sede dabatur,
 Congenitis cum regna simul ditionibus æquo
 Robore crescebant? nati nam luce sub vna
 Et domus, & domini paribus adoleuimus annis.
 Ex quo plasma nouum de consepito paradisi
 Limite progrediens amplum transfugit in orbē.
 Pellitosq; habitus sumpsit venerabilis Adam,
 Nudus adhuc, ni nostra foret præcepta sequutus.
 Quis nam iste ignotis nunc hostis surgit ab oris
 Importunus, iners, infœlix, degener, amens?
 Qui sibi tam seruum ius vindicat, hæctenus exul.
 Nimirum vacuæ credentur friuola famæ,
 Quæ miseros optare iubent, quandoq; futuri
 Spem fortasse boni, *lenta vt solatia mollem
 Desidiam pigro rerum medicamine palpent. *lata
 Quid ni illos spes palpet iners, quos puluere i isto
 Tyrones Bellona truci non excitat ære,
 Imbellesq; animos virtus tepesacta resoluit?
 An ne Pudicitia gelidum iecur vtile bello est?
 An tenerum pietatis opus sudatur in armis?
 Quàm pudet ô Mauors, & Virtus conscia, talem
 Contra stare aciem, ferroq; laceffere nugas,
 Et cum virgineis dextram conferre choreis,
 Iustitia est *nam semp egens, & pauper Honestas, *vbi
 Arida Sobrietas, albo Ieiunia vultu,
 Sanguine vix tenui Pudor interfusus, aperra
 Simplicitas, & ad omne patēs sine tegmine vulnus,
 Et postrata in humum, nec libera iudice sese
 Mens humilis, quem degenerē trepidatio prodit.
 Faxo ego sub pedibus stipularum more teratur
 Inualida ista manus, neq; enim perstringere duris
 Dignamur gladiis, argenti & sanguine ferrum
 Imbuere, * & fragili vires fœdare triumpho. *fragilitq;
 Talia vociferans rapidum calcaribus vrget viro
Cor

AVRELII PRUDENTII

Cornipedem, laxisq; volat temeraria frenis,
 Hostem humilē cupiens impulsu vmbonis equini.
 Sternere, deiectamq; supercalcare ruinam.

Sed cadit in foueam præceps, quam calida forte
 Fraus interciso suffoderat æquore furtim.
 Fraus detestandis vitiorum ē pestibus vna,
 Fallendi versuta opifex, quæ præsciā belli
 Planiciem scrobibus violauerat insidiosis,
 Hostili de parte latens, vt fossa ruentes
 Exciperet cuneos, atq; agmina mersa voraret.
 Ac ne fallacem puteum deprendere posset
 Clara acies, virgis adopertas texerat oras,
 Et super imposito simularat cespite campum.

At regina humilis quanuis ignara manebat
 Vltiore loco, nec adhuc ad fraudis opertum
 Venerat, aut foueæ calcarat furta malignæ.
 Hunc eques illa dolum dum fertur præpete cursu
 Incidit, & cæcum subito patefecit hiatus.
 Prona ruentis equi ceruice inuoluitur, ac sub
 Pectoris impulsu fracta inter crura rotatur.

At Virtus placidū moderaminis, vt leuitatem
 Perspicit obtritā monstri sub morte iacentis,
 Intendit gressum mediocriter, os quoq; parcē
 Erigit, & comi moderatur gaudia vultu.
 Cunctanti Spes fida comes succurrit, & offert
 Vltorem gladium, laudisq; inspirat amorem.
 Illa cruentatam correptis crinibus hostem
 Protrahit, & faciem læua reuocante supinat.

Tunc caput orantis flexa ceruice resectum
 Eripit, ac madido suspendit colla capillo.

Extinctum vitium sancto Spes increpat ore,
 Desine grāde loqui, frangit Deus omne superbū,
 Magna cadūt, inflata crepāt, tumefacta premunt.
 Disce supercilium deponere, disce cauere
 Ante pedes foueam, quisquis sublime minaris.
 Peruulgata viget nostri sententia Christi,

Scan-

Scandere celsa humiles, & ad ima redire feroces,
 Vidimus horrendum membris, animisq; Goliath
 Inualida cecidisse manu, puerilis in illum
 Dexterâ fundali torsit stridore lapillum,
 Transiectamq; cauo penetrauit vulnere frontem:
 Ille minax, rigidus, iactans, truculentus, amarus,
 Dum tumet indomitum, dum formidabile feruet,
 Dum sese ostentat clypeo, dum territat auras,
 Expertus pueri quid possint ludicra parui,
 Succubuit teneris bellator turbidus armis.
 Me tunc ille puer virtutis pube sequutus
 Florentes animos sursum in mea regna tetendit.
 Seruatur qua certa mihi domus omnipotentis
 Sub pedibus domini, meq; ad sublime vocantem
 Victores cæsa culparum labe capeffant.

Dixit, & auratis perstringens aëra pennis
 In cælum se virgo rapit: mirantur euntem
 Virtutes, tolluntq; animos in vota, volentes
 Ire simul, ni bella duces terrena retardent.
 Confligunt vitiis, seq; ad sua præmia seruant.

Forte per effusas) Humilitatis cū superbia cōgressum
 ponit ante oculos. Effreni, qualis & ipsa est. Quo,
 pro ut. Fulca, id est ipsa sedens & sustentata in pelle leo-
 nis iubata. Accumularat in altum, id est, in sublime cres-
 cere fecit. Caput turrutum, id est, in modum turris extru-
 ctum. Crinibus tortis, id est, in funium similitudinem con-
 textis: quasi chimeram & galeæ cristas. sic suprâ dicit de
 ira, hirsutas quaticens galeato in uertice cristas. Ut conge-
 ries addita, id est illa criminum multitudo adiuncta capiti
 aut cassidi. Augeret cirros, id est crimes, ad maiorem hor-
 ris terrorem. Palla carbasa, ex carbaso genere lini can-
 didissimo contexta. Collectæ summo sinu, quia sinus uestis
 inferiores fluxi erant: sed superior sinus collectus à pe-
 ctore sursum, ideo dicit, neclens à pectore nodum tere-
 tem, id est, cingulum. Virgil. in. 4. Aeneid. Aurea purpu-
 ream subnectit fibula uestem. Idem in sexto. Soribus ex
 hu-

AVRELII PRUDENTII

hameris nodo dependet amictus. itaque nodam teretem
 fibulam cinguli appellat. Limbus tenui uelamine, id est
 uelamen tenue habens limbam. A ceruice fluens, id est
 pendens. Infestas auras, id est obstantes siue obuias. Ouid.
 Obuiaque aduersas uibrabant flamma uestes. Textis tur-
 gentibus, id est, uelaminibus aura inflatis. Sonipes, id est,
 equus non potens consistere pedibus. Vergil. Stat sonipes
 & frena ferox spumantia mandit. Frenarier ora, synec-
 doche per uerbum passiuum. Obuertit terga, id est retro-
 cedit. Negata libertate fuga, id est, cursus, hoc est quia
 non permittitur currere. Ventosa uirago, id est, superbia
 opinione sui tumida & inflata. Supereminet, quia in om-
 nibus se ostentat. Circumflectit subaudi habenis, quanuis
 supra effrenem dixit: sed intelligendum effrenem pro ma-
 le frenis obedientem. Aduersum cuneum, id est, humilita-
 tis aciem in cunei speciem ordinatam. Milite raro, quia
 pauci tales reperiuntur. Coegerat, congregauerat. Pau-
 pertinis, pauperibus. Apuleius, Quod oro fili paupertin-
 nas reculas donas uicinis. Mens humilis, id est, humili-
 tas. sed non potuit in carmine tres syllabas breues pone-
 re. Regna quidem, id est, quanquam pauper non sine ma-
 icestate regia. Proprio paratu, id est exercitus expeditio-
 ne. Collegam, id est, auxiliarem ad hanc pugnam ad quam
 sola spe uincendi descendebat. Cuius regno diuite sci-
 licet spei. Opulentia, id est, omnium rerum abundantia,
 est edita, id est, procreata, & suspensa ab humo, id est,
 a terra subleuata, & alludit ad consuetudinem Roma-
 norum qui infantes recens natos humi collocabant & de-
 inde subleuabant, unde est dea Leuana quae infantes de
 terra leuabat. Humilem mentem, ut supra humilitatem.
 Nullo ostentamine, id est, sine ostentatione: cum super-
 bia nihil sine ostentatione faciat. Fundit se, id est, pro-
 rumpit. Non pudet, insectatur multis uerbis atque ama-
 rulentis humilitatis milites, dicens indignos qui cum suo
 exercitu audeant pugnare. Laceffere, prouocare ad cer-
 tamen. Peperit, comparauit. Calcare, id est possidere. si
 fas

*fas est. q. d. quod nefas est. En qui nostra suis, est quale illud Vergil. ex Aeneid. En qui nostra sibi bello conu-
 bia poscunt. Sceptra, id est, insignia nostri regni. Sulcae re nouales, id est, exercere agros, qui quo anno cultura renouantur dicuntur nouales, sicut quo non coluntur anno, restiles appellantur. Capta manu, uel antea à nobis, uel nunc ab ipsis. Popularier, id est, per uim occupare. Hospite aratro, id est, cultura sua qui non indignæ sed hospites sunt. Duros colonos, id est, nos fortes uiros. Natalibus horis, sensus est, ego Superbia sic exerceo meos milites, quòd ab hora diei natalis assuefacio illos ad rerum dominium. Calidos à matre. Iuuenal. Modo primos incipientem ædere uagitus & adhuc à matre rubentem. Vim potestatum, id est, potentes uires. Et omnes, id est, ego cum meis. In ossibus rudibus, id est, ab infantia & tenera ætate. Quis locus. q. d. in ditione nostra quæ nobiscum genita est. & creuit nullus est locus. Congenitis ditionibus, id est, regnis & dominijs rerum nobiscum genitis. Et domus & domini, idem dicit alijs uerbis. Ex quo, dicit iam inde ab initio mundi hoc fuisse, quòd potentiores atque perinde superiores rerum potiti sunt. Plasma nouum, Adam ex luto factus. Pellitos habitus, id est, uestes pelliceas. Ouid. de ponto, Littora pellitis nimirum subiecta corallis. Nòstra præcepta, id est, per superbiam occupasset agros. Ab oris ignotis, id est, aduena ignobilis & obscurus. Tam serum ius, id est, sero. Nimirum uacue, sensus est, non esse credendû famæ, quæ iubet miser os bene sperare. Friuola creduntur famæ, id est, frustra illi creditur. Vacue, id est, uane siue ociose. Spem boni futuri. quia spes non est nisi de bono futuro. Ut palpent, sensus est, ut hæc leuis consolatio blandiatur illorum desidiæ. Picro medicamine, id est, leui remedio. Quidni, id est, certe. Spes iners, id est, quæ inertium est. Palpet illos, id est, illis blandiatur, construitur que cum accusatiuo & cum datiuo. Iuuen. Quem munere palpat carus. Horat. Cui male si palpare recalcitrat. Quos Bellona, dea belli. Non exci-
 tat*

AURELI PRUDENTII

*fat, non exercet. In isto puluere, id est, in exercitio milita-
 ri, ac si dicat, indigni sunt qui in militia uersentur. Truci-
 are, id est, terribili tuba. Virtus tepe facta, id est, fortitudo
 qua debet esse feruētissima. Resoluit, eurat, enervat.
 Iecur gelidum, nam cum in feruore iecoris sit uis amoris,
 pudicitia frigescat ea parte necesse est. Pietatis opus te-
 nerum, id est religionis qua in timore est dei, uidetur que
 homines facere formidolosos. Sudatur, id est, exercetur.
 Virtus conscia, id est uires quarum nobis ipsis sumus con-
 scij. Nugas, id est homines nihili. Hanc dextram, id est no-
 strum robur. Cum choris uirginis, id est, cum uirtutibus
 qua uirgines finguntur, ut pudicitia, pietas, iustitia egens
 quia uiri iusti non possunt ditari. Honestas pauper, quia
 qui in sola honestate ponit beatitudinem, pauper sit neces-
 se est, cum bona fortunæ non numeret in bonis. Sobrie-
 tas arida, cum è contrario ebrietas sit madida. Albo uul-
 tu, id est, pallido. Tenui sanguine, subaudi tantum in fa-
 cie, ubi est sedes pudoris. Simplicitas aperta, quia nul-
 lam habet duplicitatem. Ad omne uulnus, quia quilibet
 potest illam decipere. Prostrata in humum, unde dicitur
 humilitas. Nec libera, sed serua. Trepidatio, id est, con-
 scientia proprii timoris. Prodit degenerem, id est, facit
 degenerare. Faxo ego, id est, faciam. Sub pedibus, con-
 culcando non ferro percutiendo. Perstringere, id est uul-
 nerare. Imbuere ferrum, id est intingere. Sanguine algen-
 ti, id est, hostium ignauorum. Fragili triumpho, id est, ex
 tam parua materia. Rapidum cornipedem, id est, equum
 uelocem. Laxis frenis, id est solutis. Vergil. Laxas sciret
 dare iussus habenas. Umbonis equi, id est, clypeo, siue ce-
 tra ex corio equino. Ruinam, id est, humilitatem ruen-
 tem. Fraus callida, qua pro parte superbiæ in pugna sta-
 bat. Equore interciso, id est campo medio effosso, ut in
 illa compleretur quod Psalmographus scribit, incidit in
 foueam quam fecit. Detestandis pestibus, id est inter pe-
 stes detestandas. Versuta, callida & astuta, sed in malum.
 Præscia belli gerendi inter superbiam & humilitatem.*

Vie

Violauerat, effodiendo corruerat. Deprendere quasi
 quod lateret furto. Oras scilicet fossarum. Adopertas
 uirgis, id est arborum ramis. Simularat campum cespite,
 id est herbis congestis, cum reuera esset fossa. Quauis
 ignara, scilicet latentis fossæ. Vltiore loco, id est citra
 fossam. Ad opertū fraudis, id est ad scrobem quæ fraus
 effoderat: in quem humilitas non incidit, quia suo præ-
 cipitio superbia loci fraudem patefecerat. Eques illa, id
 est, superbia obequitans. Incidit hunc, id est in hunc hiaz-
 tum: cæcum, id est, ramis & cespitibus opertum. Prona
 inuoluitur, id est, præceps deijcitur. Ceruice equi, i. super
 equi ceruicē. Sub impressu pectoris, scilicet equi qui sup
 ipsam sestricem cecidit. Fracta, i. dissipata & lacerata.
 Inter crura, scilicet equi. Virtus placidi moderaminis, i.
 humilitas uitæ humanæ moderatrix. Leuitatem monstri,
 id est, superbiam sibi contrariam, quod est quasi mon-
 strum quoddam. Intendit gressum, id est, properat. Eri-
 git os parcè, quod superbiæ quassanti capite atq; erecta
 ceruice fecisset. Vultu comi, id est, festiuo & hilari.
 Cunctanti, dubitanti quid faceret, uel quod humilitas ni-
 hil præcipitanter agit. Amorem laudis, id est uictoriæ.
 Hostem, superbiam. Supinat faciem, quia prona erat. Le-
 ua reuocante, id est, illam resupinante. Orantis miseri-
 cordiam uictricis suppliciter implorantis. Colla, scilicet
 cum capite. Spes, Humilitatis comes: quia ipsa humilitas
 nihil sublime aut minax dicit. Grande loqui, quod ante-
 hac faciebas. Magna cadunt. Lucanus: In se magna ru-
 unt. Inflata crepant, id est, rumpuntur tamescendo. Tuz-
 mefacta premuntur, idem dicit alijs uerbis. Superciliū, i.
 superbiā. Iuue. Si cum magnis uirtutibus affers grande su-
 percilium. Sentētia Christi, Lucæ cap. xiiij. Qui se exal-
 tat humiliabitur, & qui se humiliat, exaltabitur. Atque
 unus ex septem sapientibus interroganti Æsopo quid fa-
 ceret Iuppiter, respondit: Extollit humiles, atq; superbos
 deprimit. Vidimus, quod de superbia dixit: spes exem-
 plo Golii ex primo Regum libro demonstrat. Mem-
 bris,

bris, erat quippe procerus. Animis, id est, animositate grandiloquus. Inualida manu, David pueri debilis comparatione Goliæ, cum alioqui robustissimus esset. Stridore fundali, id est, missum ex funda cum stridore. Cauo vulnere, quia lapis descendit ad intimum cerebrum. Amarus, amarulentis utens uerbis. Indomitum & formidabile, nomina sunt pro aduerbijs. Dum territat auras, ex Vergil. xi. Aeneid. Cælum territat armis. Ludicra pueri, quia funda rem aliquam figere puerorum ludus est. Belator turbidus, id est, præcipitanter omnia atq; ex perturbatione faciens. Teneris armis, id est, puerilibus: quia ætas tenera est. Secutus me, scilicet spem maiora indies exequendi. Nube uirtutis, id est, adolescentia sub uirtutum exercitio educata. Tetendit in mea regna, id est, direxit. Animos florentes, id est, animi actiones in ætate florida. Certa domus, non quod spes illuc usque perueniat, dicente Apostolo: Cum uenerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est: sed quod in uia sperantes in patria collocandi sunt. Ad sublime, id est, regna cælestia. Casa labe culparum, id est, superata causa uitiorum. Perstringens aëra, id est, leniter uerberans. Tollunt animos in uota, id est, erigunt se in spem. Volentes ire simul, cum spe in cælum ascendente. Bella terrena, quia in hac uita decertandum est cum uitijs. Ad sua præmia, post uictoriam de illis partam.

LVXURIÆ, ET SOBRIÆ

TATIS PUGNÆ.

Venerat occiduis mundi de finibus hostis
 Luxuria, extinctæ iandudum prodiga famæ,
 Delibuta comas, oculis vaga, languida uoce,
 Perdita delitijs, vitæ cui causa voluptas,
 Elumbem mollire animum, petulanter amœnas
 Haurire illecebras, & fractos soluere sensus.
 Et nunc peruigilem ructabat marcida cœnam.
 Sub lucem quia forte iacens ad fercula raucos
 Audierat lituos, atque inde tepentia linquens

Pocula, lapsanti per vina, & balsama gressu
Ebria calcatis ad bellum floribus ibat.

Non tamē illa pedes, sed curru inuecta venusto,
Saucia mirantium capiebat corda virorum.
O noua pugnandi species, non ales harundo
Neruo pulla fugit, nec fridula lancea torto
Emicat amento, framea nec dextra minatur.
Sed violas lasciua iacit, foliisque rosarum
Dimicat, & calathos inimica per agmina fundit.
Inde eblanditis virtutibus, halitus illex
Inspirat tenerum labefacta per ossa venenum.
Et male dulcis odor domat ora, & pectora, & ar-
Ferratosque toros obliro robore mulcet. (ma,
Deiciunt animos, ceu veti, & spicula ponunt
Turpiter, heu dextris languentibus obstupefacti,
Dum currum varia gemmarum luce micantem
Mirantur, dum bracteolis crepitantia lora,
Et solido ex auro preciosi ponderis axem
Defixis inhiant obtutibus, & radiorum
Argento albenstem seriem, quam summa rotarum
Flexura electri pallentis continet orbe.
Et iam cuncta acies in deditiois amorem
Sponte sua versis transibat perfida signis,
Luxuriæ seruire volens, dominaeque fluentis
Iura pati, & laxa ganeorum lege teneri.
Ingemuit tam triste nefas fortissima virtus
Sobrietas, dextro socios decedere cornu,
Inuictamque manum quondam sine caede perire.
Vexillum sublime Crucis, quod in agmine primo
Dux bona prætulerat, defixa cuspide sistit,
Instauratque leuem dictis mordacibus alam,
Extimilās animos, nūc probris, nūc prece mixta,
Quis furor insanas agitat caligine mentes?
Quo ruitis? cui colla datis? quæ vincula tandem
Proh pudor, armigeris amor est perferre lacertis?
Lilia luteolis interlucentia fertis

D

Et

AURELII PRUDENTII

Et ferrugineo vernantes flore coronas,
 His placet assuetas bello iam tradere palmas
 Nexibus: his rigidas nodis innectier vlnas?
 Ut mitra caesariem cohibens aurata virilem
 Combibat infusum croceo religamine nardum.
 Post inscripta oleo frontis signacula, per quæ
 Unguentum regale datum est, & chrisma perenne
 Ut tener incessus vestigia syrmate verrat,
 Sericæq; infractis fluitent vt pallia membris
 Post immortalem tunicam, quam pollice docto
 Pectoribus lotis, dederat quibus ipsa renasci.
 Ite ad nocturnas epulas, vbi cantharus ingens
 Despuit effusi spumantia damna falerni
 Immensam cyathis stillantibus vndam, vbi multo
 Fulcra mero, veteriq; toreumata rore rigantur.
 Excidit ergo animis eremi sitis, excidit ille
 Fons patribus de rupe datus, quem mystica virga
 Elicuit scissi salientem è vertice saxi,
 Angelicusue cibus prima in tentoria nostris
 Fluxit auis, quem nunc serò felicior æuo
 Vespertinus edit populus de corpore Christi.
 His vos imbutos dapibus iam crapula turpis
 Luxuriæ, ad madidum rapit importuna lupanar,
 Quosq; viros non ira fremens, idolâq; bello
 Cedere compulerât, saltatrix ebria flexit. (Christi,
 State precor vestri memores, memores quoque
 Quæ sit vestra tribus, quæ gloria, quis deus & rex,
 Quis dominus, meminisse decet. Vos nobile Iudæ
 Germen adusq; dei genitricem, qua deus ipse
 Natus homo, procerum venistis sanguine longo,
 Excitet egregias mentes celeberrima David
 Gloria continuis bellorum exercita curis.
 Excitet & Samuel, spodium qui diuite ab hoste
 Attrectare verat, nec victum viuere Regem
 Incircuncisum patitur, ne præda superstes

Victo-

Victorem placidum rediuiua in prælia poscat.
 Parcere iam capto crimen putat ille tyranno.
 At nobis contra vinci, & succumbere votum est,
 Pœniteat, per si qua mouet reuerentia summi
 Numinis, hoc tam dulce malum voluisse nefanda
 Proditione sequi, si pœnitet, haud nocet error.
 Pœnituit Ionathan ieiunia sobria dulci
 Conuiolasse fauo sumpto, mellisq; sapore
 Heu male gustato, regni dum blanda voluptas
 Oblectat iuuenem, iurataq; sacra resoluit.
 Sed quia pœnituit, nec fors lachrymabilis illa est,
 Nec tinxit patrias sententia sæua secures,
 En ego Sobrietas (si conspirare paratis)
 Pando viam cunctis virtutibus, vt malesuada
 Luxuries multo stipata satellite pœnas
 Cum legione sua Christo sub iudice pendat.
 Sic effata, Crucem domini feruentibus offert
 Obuia quadrigis, lignum venerabile in ipsos
 Intentans frenos, quod vt expauere feroces
 Cornibus expansis, & summa fronte coruscum,
 Vertunt præcipitem cæca formidine fusi
 Per prærupta fugam, fertur resupina reductis
 Nequicquam auriga loris, comasq; madentes
 Puluere sædat humi, tunc & vertigo rotarum
 Implicat excussam dominam, nam prona sub axe
 Labitur, & lacero tardat sufflamine currum.
 Addit Sobrietas vulnus lethale iacenti,
 Coniiciens filicem rupis de parte molarem.
 Hunc vexilliferæ, quoniam fors obtulit, ictum
 Spicula nulla manu, sed belli insigne gerenti
 Casus agit saxum, mediū spiramen vt oris
 Frangeret, & recauo misceret labra palato,
 Dentibus introrsum resolutis lingua resectam
 Dilaniata gulam frustis cum sanguinis implet.
 Insolitis dapibus crudescit guttur, & ossa
 Colliquefacta voras reuomit, quas hauserat, offas

AVRELII PRUDENTII

Ebibe iam proprium post pocula multa cruorē,
 Virgo ait increpitans: sint hæc tibi fercula tandem
 Tristia præteriti nimis sub luxibus æui.
 Lasciuas vitæ illecebras gustatus amara
 Mortis, & horrifico sapor vltimus asperat haustu.
 Cæde ducis dispersa fugit trepidante pauore
 Nugatrix acies. Iocus, & Petulantia primi
 Cymbala proiciunt: bellum nam talibus armis
 Ludebant resono meditantes vulnera sistro.
 Dat tergum fugitiuus Amor, lita tela veneno,
 Et lapsus ex humeris arcū, pharetramq; cadentē
 Pallidus ipse metu sua post vestigia linquit.
 Pompa ostentatrix vani splendoris, inani
 Exiit nudata peplo. discissa trahuntur
 Serta venustatis, colliq; ac verticis aurum
 Soluitur, & gemmas discordia dissona turpat.
 Non piget attritis pedibus per acuta fruteta
 Ire voluptatem: quoniam vis maior acerbam
 Compellit tolerare fugam, formido periculi
 Perdurat teneras iter ad cruciabile plantas.
 Qua se cunque fugax trepidis fert cursibus agmē,
 Damna iacent, crinalis acus, redimicula, vittæ,
 Fibula, flammeolum, strophium, diadema, monile,
 His se Sobrietas, & totus Sobrietatis
 Abstinet exuuiis miles, damnataq; castis
 Scandala proculcat pedibus, nec fronte seueros
 Conniuente oculos prædarum ad gaudia flectit.

Venerat) Describit sobrietatis cum luxuria certamen, accipiens luxuriam in propria significatione hoc est pro superfluitate in omni re, cuius est immoderatus usus. Cicero primo Officiorum: Intelligimus quam sit turpe defluere luxuria, delicate ac molliter uiuere. De finibus occiduis, de Africa, an de Hispania? sed à nostra mores corrupti uenerunt in medium orbem. An de finibus occiduis, id est, uergente mundi uespere, ut canit bymnographus: in quos ut inquit Apostolus seculorum fi

nes deuenerunt, pri. Corin. x. Vnde paulò post uesper-
 tinus edit populus, id est, in mundi uespere constitutus.
 Prodigia famæ, non curans de infamia quæ inde sequitur.
 Delibuta comas scilicet unguento precioso. Oculis uaga.
 Persius; Permisit sparsisse oculos. Languida uoce, id est,
 habens uocem effæminatam. Causa uitæ, quia nisi pro-
 pter uoluptates nollet uiuere. Elumbem animum, id est,
 euiratum. Persius; Summa delumbe salina. Marcida, id
 est ex nimio cibo languens. Cœnam peruigilem, id est,
 quæ ab incipiente uespere per totam noctem durauerat.
 Sub lucem, id est aduent ante die. Lituos raucos; id est,
 tubas bellicum canentes. Pocula tepentia, id est calefa-
 cientia potores. Gressu lapsanti, id est passu titubante. Flo-
 ribus, fertis, quæ iam ex capitibus deciderant. Vergil. Ser-
 ta procul tantum capiti delapsa iacebant. Venusto curru,
 id est pulchro. Corda saucia, iam pridem à se uulnerata.
 Ales arundo, id est sagitta ex plumis alas habens. Pulsa
 neruo, id est arcus chorda. Lancea stridula, id est cum
 stridore missa. Framæa, id est ense. Calathos, quibus flo-
 res comportantur. Inimica per agmina scilicet sobrietatis.
 Illex, id est luxuria illiciens ad se omnes. Eblanditis, id
 est blanditijs delinitis. Et male dulcis, id est, in perniciem
 utentium à luxuria oblatas. Domat umicit. Ferratos tor-
 ros, id est, musculos & neruos rigidos, unde torosa inuen-
 tus dixit Persius. Oblito robore, id est, pristino rigore.
 Gemmarum luce, quibus currus erat ornatus. Bractæolis,
 laminiis aurcis. Verg. 6. Aeneid. Leni crepitabat bractæa
 uento. Axem ex auro solido. Ouid. ij. Meta. Aureus axis
 erat. Inhiant, id est, quasi hiantes admirantur. Vergilius
 secundo Georgicorum: Nec pulchros inhiant uaria testu-
 dine postes. Defixis obtutibus. Vergilius primo Aenei-
 dos: Obtutuq; manet defixus in uno. Et radiorum seriem.
 Ouidius secundo Metamorph. Radiorum argenteus or-
 do. Flexura rotarum, id est, curuatura, ut Ouidius dicit:
 Autea summa curuatura rotæ: hæc à grecis canthus di-
 citur. Electri pallentis, est enim electrum in quo quinta

AVRELII PRUDENTII

pars argenti auro miscetur. Cuncta acies, scilicet virtutum desciscendum à sobrietate. In amorem deditiois, cupiens dedere se luxuriæ. Perfida, atq; ex perfidia transfuga. Fluentis, id est, fluxa & delicata. Laxa lege, id est, ampla & solutiore. Ganeorum, id est, popinarum, siue cauponarum. Dextro cornu, id est, quos ipsa in dextro pugna cornu collocauerat. Perire sine cæde, scilicet in hoc certamine. Prætulerat, id est, præ se tulerat. Alam leuem, id est, exercitum inconstantem. Instaurat, in meliorem partem reducens confirmat. Agitat caligine, id est, perturbat atque obcæcat. Quò ruitis, quasi dicat, in perniciem manifestariam. Cui colla datis, quasi dicat, ignominiosæ luxuriæ. Quæ uincula, quasi dicat, turpia & propter ignauiam recepta, scilicet, lilia pro uinculis. Luteolis fertis, id est, coronis ex floribus pallidulis. Flore ferrugineo, ex purpura nigricante, qualis est color uiolaceus. Verg. Ferrugine clarus Ibera. His nexibus scilicet florum. Vergilius Inijciunt ipsis ex uincula fertis. Innectier ulnas, id est, habere ulnas innexas. & est synechdoche per uerbum passiuum, ut Vergilius Expleri mentem nequit. Mitra aurata, quod ornamentum mollium uirorum aut meretricum est. Vergilius. iij. Aeneid. Meonia mentum mitra. & Iuuenalis. Ite quibus grata est picta lupa barbara mitra. Croceo religamine, id est, reticulo in quo inuoluuntur comæ. Iuuenalis, sed nigrum flauo crimem abscondente galero. & illud. Reticulumq; comis auratum ingentibus implet. Signacula, ex chrismate characteres. Unguentum regale, id est, oleum quo reges inungebantur. Et chrisma perenne, quia character ille nunquam delebitur. Ut tener, sensus est, ut togam siue tunicam candidam, quam in baptisate accepimus: incedamus uestiti mollibus indumentis. Sirmate, ueste caudata: nam syrma est uestis pars quæ per terram trahitur. Membris infractis, id est, effemmas & mollibus. Fluitent, id est, in sinus effundantur. Tunicam immortalè, de qua in baptisate dicitur, Accipe uestem candidam &c. Pectoribus lotis, aqua baptismatis

mandatis. Ipsa renasci, unde & regeneramur per illam. Ite ad epulas, permissio est ironica. Cantharus ingens, Vas in sacris Bacchi. Despuit, quod redundat effundit, id est, dicit damna spumantia. Falerni effusi, scilicet in pateras. Fulcra rigantur, id est, mensæ. Toreumata, uasa cæolata siue sculpta. Rore ueteri, id est, umo. Eremitis, quando Hebræi in deserto siti laborabant, & syllabam natura longam breuiavit in hac particula eremus. Mystica uirga, scilicet Aaron & Mosis. Elicit, quasi per uim extraxit, & sumptum est ex Exod. cap. x. sicut quod sequitur ex cap. x. Angelicus cibus, id est, manna de cælo. Nostris auis, id est, nostris patribus & maioribus. Populus uespertinus, id est, christianus qui in mundi uespere surrexit. De corpore Christi, id est, in corpore Christi, quem manna figurabat: de quo in psalmo: Panem angelorum manducauit homo. His dapi- bus, id est, pane cælesti. Crapula turpis, ebrietas deformis. Lupanar madidum, id est, quo se ebrj confecerunt. Quosque uiros ira fremens, id est, persecutores nominis Christiani. Idolaque, id est, deorum gentilium cultus. Cedere, id est, uinci. Saltatrix ebria, id est, luxuria. Memores uestri, id est, uirtutis pristina. Vestra tribus, id est, ex quo genere estis orti. Quæ gloria, quia non oportet gloriari nisi in cruce domini nostri lesu Christi. Quis Deus & Rex, quia solus rex regum & dominus dominantium. Germen ludæ, ad illud referendum est, quod dicit: Quæ sit uestra tribus, & est ordo, gloria Dauid celeberrima excitet uos germen. Ad Dei genitricem, quia ab Abraham per Isaac, Iacob, Iudam & cæteros Patriarchas propagata est genealogia materna saluatoris. Longo sanguine, id est, stemmate nobili, hoc est, adoptati estis in familiam Christi per baptismum. Excitet exemplis, hortatur suos milites sobrietas ad pugnam capeffendam contra luxuriam. & primo de Dauid rege, qui bellis gerendis omne tempus contriuit. Samuel, hoc ex primo regum libro cap. xv.

AVRELI PRUDENTII

Sumptum est, ubi Saul inssu Samueles profectus contra
 Amalechitas illos usque ad interneccionem cecidit, nisi
 quod pepercit illorum regi Agag, & partem praeda ser-
 uauit contra praeceptum Dei. Regem uictum scilicet A-
 gag. Haec praeda superstes, id est, aliquis qui ex ea pu-
 gna fuisset reliquus. Victorem placidum, id est, Saul. In
 praelia rediuiua, id est, quae inde postea renascerentur.
 Iuuenal. Rediuiuus pullulet arca numus, id est, renascens.
 Tyranno capto, quia nihilominus Samuel iussit illum oc-
 cidi. Contra, quam fecerunt Dauid & Samuel. Per si qua,
 periurantis est. & est ordo, per reuerentiam summi nu-
 minis, id est, Dei, si qua reuerentia Dei mouet uos. Sic
 Vergilius secundo Aeneid. Per si qua est quae restat ad-
 huc mortalibus usquam intemerata fides. Proditione,
 quia proditis Deum uestrum: sequentes dulce malum, id
 est, luxuriam. Penituit Ionathan, ex eodem primo Re-
 gum libro capit. xiiij. Quomodo in pugna contra Philis-
 teos Ionathan contra praeceptum Saul patris quod non
 audierat, gustauit mellis fauum. Malegnstato, quia con-
 tra patris adiurationem. Regni uoluptas, quia in eadem
 pugna agebatur de summa regni. Resoluit, id est, uiola-
 uit. Vergil. iij. Aeneid. Quam te uiolem aut tua iura re-
 soluam. Patrias secures, quia Saul iubebat filium ex lege
 occidi. Conspirare, subaudi mecum. Malesuada, id est,
 quae ad malum suadet. Vergilius in. vi. Aeneid. Male-
 suada famas. Feruentibus quadrigis, id est, equis ardo-
 re percitis in pugnam. Lignum uenerabile, id est, ado-
 randam crucem. Feroces scilicet equi. Expansis cornibus,
 id est, brachijs. duo enim brachia crux habet extenta. Fu-
 si, equi consternati perterrefactique obiectu crucis. Per-
 praeupta, id est, loca aspera & in praecipitium posita.
 Auriga, quae moderabatur currum luxuriae. Reductis
 loris, quia frustra retinebat contraheratque lora. Domi-
 nam excussam, scilicet ipsam luxuriam ex curru deiectam.
 Sufflamine lacero, id est, machina qua decurrens rota
 ex nimio impetu retinetur. De parte rupis, id est, partem

rupis ad magnitudinem lapidis molaris. Vexillifer, id est sobrietati signum crucis pro vexillo ferenti. Hunc ictum, scilicet lapidis molaris. Belli insigne, id est, vexillum crucis. Casus fortuna, imò prouidentia quadam diuina. Spiramen oris, id est, qua spiramus ore. Palato recauo, id est, ipsius oris cælo concauo. Dentibus resolutis, id est, dissipatis & confusis intra oris inanitatem. Gulam reserctam, id est, ingluuiem qua cibos glutimus ictu lapidis pertusam. Cum frustis, superabundat præpositio cum. Crudescit, id est, ex cruditate redundat. Ossa colliquefacta, id est, fracta & comminuta. Offas, frusta sanguinis, ossium, & carnis. Virgo, sobrietas. Proprium, id est, tuum. Hæc fercula, sensus est, oportet eos, qui ætatem in delitijs consumpserunt, exitus uitæ tristis sequatur. Aeuu præteriti sub luxibus, id est, transacti in uoluptatibus. Gustus amara mortis, & quod idem est sapor ultimus. Asperat haustu horrifico, id est, asperiores reddit & exacerbatur. Illecebras, id est, blanditias. Cæde ducis, id est, morte luxuriæ. Acies nugatrix, id est, uana & nihil agens. Iocus, filius Veneris. Et petulantia, quæ in ipsa comitatu Veneris siue luxuriæ est. Cymbala, instrumenta libidinis excitatiua. Vergil. Cymbala cum crotalis pruriginis arma. Talibus armis, scilicet cymbalis. Meditantes uulnera, id est, exercentes prælia. Iuuenal. Statua meditantur prælia Iusea. Sistro, tuba proprie in sacris Isidis. Amor, & ipse Veneris filius in comitatu quoque luxuriæ uersatus. Tela lita ueneno, id est, sagittas. Arcum & pharetram, quæ sunt illius insignia. Ostentatrix, id est, quæ non ad ueritatem sed ad ostentationem et ad id quod uidetur ad præsens uiuit. Exiit peplo inani, id est, ueste qua prius uidebatur sibi pudenda tegere, quæ tamen in fine denudantur. Serta uenustatis, id est, Veneris. sicut econtra rio Venus pro uenustate. Aurum colli & uerticis, id est, monilia & discriminalia ex auro. Discordia, id est, tumultus & trepidatio in castris, quia nihil est tam dissonum quàm sunt uitia inter se. Per fruteta, id est, per loca frutico-

AVRELII PRVDENTII

sa & uepribus aspera. Pedibus attritis, cū antea non nisi mollia calcarent. Tolerare fugam, id est, fuga labores & difficultates. Perdurat, actiue, id est, duras & tolerantis laboris reddit. Ad iter cruciabile, id est, crucians actiue. Agmen fugax, id est, exercitus luxuriæ fugitiuus. Damna iacent, id est, spolia sparguntur. Acus criminalis, id est, qua crimes discriminantur. Flammeolum, uelamen quod nouis nuptis ante faciem præceditur. Strophium quod tum capitis diadema significat. ut Vergil. Necte caput strophio. Tum fasciam pectoralem, ut Catullus, Non tereti strophio lactentes uincta papillas. Exuuijs, spolijs ex hostibus. Scandala, id est, offendicula, sic enim scandalum Græce Latine interpretatur, sunt enim omnia huiusmodi ornamenta occasiones quædam ad uitia. Fronte conuiuente, id est, saltem annuente.

AVARITIÆ ET LARGITATIS P V G N A.

Fertur Auaritia gremio præcincta capaci,
 Quicquid edax luxus preciosum liquerat, vnca
 Corripuisse manu, pulchra ad ludibria vasto
 Ore inhians, aurique legens fragmenta caduci
 Inter arenarum cumulos, nec sufficit amplos
 Impleuisse sinus, iuuat infarcire crumenis
 Turpe lucrū, & grauidos furtis distendere fiscos.
 Quos leua celante tegit, laterisque finistri
 Velat oprimento: velox nam dextra rapinas
 Abradit, spoliisque vngues exercet ahenos.
 Cura, fames, metus, anxietas, periuria, pallor,
 Corruptela, dolus, commenta, insomnia, sordes,
 *varia. Eumenides *furiæ, monstri comitatus aguntur.
 Nec minus interea rabidorum more luporum
 Crimina persultant toto grassantia campo,
 Matris Auaritiæ nigro de lacte creata.
 Si fratris galeam fuluis radiare ceraunis
 Germanus vidit commilito, non timet enssem
 Exerere, atque caput socio mucrone ferire,

De

De consanguineo rapturus vertice gemmas.
 Filius extinctum belli sub sorte cadaver
 Aspexit si forte patris, fulgentia bullis
 Cingula, & exuias gaudet rapuisse cruentas,
 Cognatam ciuilis agit discordia prædam,
 Nec parcit propriis amor insatiatus habendi
 Pignoribus, spoliatq; suos fames impia natos.

Talia per populos edebat funera victrix
 Orbis Auaritia, sternens centena virorum
 Millia vulneribus variis, hunc lumine adempto
 Effossisq; oculis velut in caligine noctis
 Cæcum errare finit, perq; offensacula multa
 Ire, nec oppositum baculo tentare periculum.
 Porrò alium capit intuitu, fallitq; videntem,
 Insigne ostentans aliquid: quod dum petit ille,
 Excipitur relo incautus, cordisq; sub ipso
 Saucius occulto ferrum suspirat adactum.
 Multos præcipitans in aperta incendia cogit,
 Nec patitur vitare focos, quibus æstuat aurum:
 Quod petit arsurus pariter speculator avarus.
 Omne hominum rapit illa genus, mortalia cuncta
 Occupat interitu: neq; enim est violentius vllum
 Terrarum vitium, quod tantis cladibus æuum
 Mundani inuoluat populi, damnetq; gehennæ.
 Quin ipsos tentare manu (si credere dignum est)
 Ausa sacerdotes Domini, qui prælia fortè
 Ductores primã ante aciem pro laude gerebant
 Virtutum, magnoq; implebant classica flatu.
 Et fors innocuo tinxisset sanguine ferrum,
 Ni Ratio armipotens gentis Leuitidis vna
 Semper fida comes, clypeum obiectasset, & atræ
 Hostis ab incurso claros texisset alumnos.
 Stant tuti Rationis ope, stant turbine ab omni
 Immunes, fortesq; animi, vix in cute summa
 Perstringens paucos tenui de vulnere lædit
 Cuspis Auaritiæ. Stupuit lues improba castis

He

AVRELII PRVDENTII

Heroum iugulis longe sua tela repelli.
 Ingemit, & dictis ardens furialibus infit:
 Vincimur heu segnes, nec nostra potentia perfert
 Vim solitam, languet violentia sæua nocendi.
 Sueuerat inuictis quæ viribus omnia vbiq;
 Rumpere corda hoïm, nec enim tã ferrea quenq;
 Formauit natura virum, cuius rigor ara
 Sperneret, aut nostro foret impenetrabilis auro.
 Ingeniũ omne neci dedimus, tenera, aspera, dura,
 Docta, indocta simul, bruta, & sapientia, nec non
 Casta, incesta meæ patuerunt pectora dextræ:
 Sola igitur rapui quicquid Styx abdit auaris
 Gurgitibus: nobis ditissima Tartara debent
 Quos retinet populos, qd̄ voluūt secula, nostrũ est:
 Quod miscet mundus vesana negotia, nostrũ est.

* Quid sit

* Qui sit, præualidas quod pollens gloria vires
 Deserit, & cassos ludit fortuna lacertos.
 Sordet Christicolis rutilantis fulua monetæ
 Effigies, sordent argenti emblemata, & omnis
 Thesaurus nigrante oculis vilescit honore.
 Quid sibi docta volunt fastidia: nõne triumphũ

* summus

Egimus è Scarioth? * magnus qui discipulorum
 Et conuiua Dei, dum fallit fœdere mensæ
 Haud quã ignarũ, dextramq; paropside tingit,
 Incidit in nostrum flammante cupidine telum,
 Infamem mercatus agrum de sanguine amici
 Numinis, obliiso luiturus iugera collo.

Viderat & Hiericho propria inter funera, quantũ
 Possent nostra manus, cum victor concidit Achar,
 Cædibus insignis, murali & strage superbus,
 Succubuit capto victis ex hostibus auro,
 Dum vetitis insigne legens anathema fauillis,
 Mœsta ruinarum spolia insatiabilis haurit.

* Iura

Non illum generosa tribus, non plebis auitæ
 Iuuit * Iuda parens, Christo quandoq; propinquo
 Nobilis, & tali felix Patriarcha nepote.

Quis

Quis placet exēplū generis, placeat quoq; forma.
 Exitii sit pœna eadem, quibus & genus vnum est.
 Quid moror aut Iudæ populares, aut populares
 Sacricolæ summi (Summus nam fertur Aaron)
 Fallere fraude aliqua, Martis congressibus impar.
 Nil refert, armis contingat palma dolisve.

Dixerat, & toruam faciem, furialiaq; arma
 Exiit, inq; habitum sese transformat honestum.

Fit virtus specie, vultuq; & veste seuera,

IO. SICH. Fit) Hoc est quod Salustianus Cato con-
 queritur, vera rerum uocabula interijisse, eoq; ueniri, ut
 uitia quædam magnificis quibusdam titulis uulgo se pro
 uirtutibus uenditent : ut sordidus qui sit, frugi dici uelit:
 profusus uero liberalis : timidus, cautus : demum uix re-
 peries scelus tam immane, quod non reperiatur, quo se ho-
 nestam in speciem palliet, adeo ut non modo imperitis,
 quibus non ita magno negotio imponitur, sed & eruditis
 oculos præstringat. Recte ergo Horatius.

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,

Quos ultra, citraq; nequit consistere rectum.

Quam memorant frugi, parcè cui uiuere cordi est

Et seruare suum, tanquam nil raptet auare,

Artis adumbratæ meruit ceu sedula laudem.

Huius se specie mendax Bellona coaptat.

Non ut auara lues, sed virtus parca putetur,

Nec non & tenero pietatis tegmine crines

Obtegit anguineos, ut candida palla latentem

Dissimulet *rabiem, diroq; obtenta furori,

Qd rapere, & clepere est, auideq; abscondere parva *formam

Natorum curam dulci sub nomine iactet.

Talibus illudens, male credula corda virorum

Fallit imaginibus, monstrumq; ferale sequuntur,

Dum credunt virtutis opus, caput impia Erinnyes

Consensu faciles, manicisq; tenacibus arctat.

Attonitis ducibus, perturbatisq; manipulis

Nurabat virtutum acies errore biformis

Por

AVRELII PRUDENTII

Portenti, ignorans, quid amicum credat in illo,
 noter. Quidve hostile vocet lethum, versatile & anceps
 Lubricat incertus dubia sub imagine visus.
 *ope
 ratio Cum subito in mediū frendens* miseratio campū
 Profilit auxilio sociis, pugnamq; capessit
 Militiæ postrema gradu, sed sola duello
 Impositura manum, ne quid iam triste superfit.
 Omne onus ex humeris reiecerat, omnibus ibat
 *indu
 uis, Nudata *exuuiis, multo & se fasce leuarat,
 Olim diuitiis, grauibusq; oppressa talentis,
 Libera nūc miserādo inopes, quos larga benigne
 Fouerat, effundēs patrium bene prodiga census,
 Iam loculos ditata fide spectabat inanes,
 Æternam numerans redituro fœnore summam.
 *& in-
 ops Horrui inuictæ Virtutis fulmen,* inopsq;
 Mentis auaritia stupefactis sensibus hæsit,
 Certa mori, nam quæ fraudis via restat, vt ipsa
 Calcatrix mundi mundanis victa fatiscat
 Illecebris, spretosq; iterum sese implicet auro?
 Inuadit trepidam Virtus fortissima duris
 Vlnarum nodis, obliſo & gutture frangit
 Exanguem siccamq; gulam, compressa ligantur
 Vincla lacertorum sub mentum, & faucibus arctis
 Extorquent animam, nullo quæ vulnere rapta
 Palpitat, atq; aditu spiraminis intercepto
 Inclusam patitur venarum carcere mortem.
 Illa reluctanti genibusq; & calcibus instans
 Perfodit & costas, atq; ilia rumpit anhele.
 Mox spolia extincto de corpore diripit, auri
 Sordida frustra rudis, nec adhuc fornace recoctam
 Materiem tineis etiam marsupia crebris
 Exesa, & virides obducta ærugine numos
 Dispergit seruata diu victrix, & egenis
 Dissipat, ac tenues captiuo munere donat
 *multū Tunc circumfusam *vultu exultante coronam
 Respiciens, alacris media inter milia clamat

Soluise

Soluite procinctum iusti, & discedite ab armis,
 Causa mali tanti iacet interfecta, lucrandi
 *Ingluue pereunte, licet requiescere sanctis.
 Summa quies, nil velle super quàm postulet vsus
 Debitus, vt simplex alimonia, vestis & vna

*Illuie



IO. SICH. *Summa quies, nil uelle super quàm postulet usus.*) Magnam tollunt sibi humanarum calamitatum partem, qui ita se instituunt, ut naturam in omnibus tanquam ducem sequantur. Ea enim cum & alibi, tum & querendarum diuitiarum nobis modum præscribit, intra quem qui uixerint, eorum non admodum retulerit, an centum iugera, an arent mille, ut elegantissimus Poëta cecinit. Contempta uero natura, quum rationem ipsi uitæ ex habendi libidine inimus, necesse est semel in uitam nostram accersi quicquid potest uspiam fingi malorum. Et dum falso nobis persuademus queri aliquod tanquam per fugium, quo tutam speremus senectutem, facimus ut ne maximis quidem periculis uacare possimus, à quibus cum omnem ætatem, quod in nobis erat, tum maxime ingrauescentem oportebat esse immunem: quod fieret haud dubie, si quod usus postularet, consideraremus.

Infirmos tegat, ac recreet mediocriter artus,
 Expletumque modum naturæ non trahat extra,
 Ingressurus iter peram ne tollito, neue
 De tunicæ alterius gestamine prouidus *esto.
 Nec te sollicitet res craftina, ne cibus alio
 Defuerit: redeunt escæ cum Sole diurnæ.
 Nonne vides vt nulla auium cras cogitet: ac se
 Pascendam, præstante deo, non anxia credat:
 Confidunt volucres victum non defore viles,
 Passeribusque subest modico venalibus asse
 Indubitata fides, Dominum curare potentem
 Ne pereant. Tu cura Dei, facies quoque Christi,
 An dubitas, ne te tuus vnquam deserat autor:
 Ne trepidate homines, vitæ dator, est dator escæ.

*ito.

Quæ

AVRELII PRUDENTII

*infari
abilis

Quærite luciferum cœlesti dogmate pastum,
Qui spem multiplicans alat *inviolabilis æui
Corporis immemores: memor est, q̄ cōdidit illud,
Suppeditare cibos, atq; indiga membra fouere.

His dictis curæ emotæ, metus, & labor, & vis,
Et scelus, & placitæ fidei fraus inficiatrix
Depulsæ vertère solum. Pax inde fugatis
Hostibus alma abigit bellum: discinditur omnis
Terror, & auulsis exhibulat ilia zonis.
Vestis ad vsq; pedes descendens defluit imos,
Temperat & rapidum priuata modestia gressum.
Cornicinum curua æra silent, placabilis implet
Vaginam gladius, sedato & puluere campi
Suda redit facies, liquidæ sine nube diei
Purpuream videas cœli clarescere lucem.

Agmina casta super vultum sensere Tonantis
Arridere, hilares pulso certamine turmæ,
Et Christum gaudere suis victoribus, arcem
Ætheris, ac portum famulis aperire profundum.
Dat signum felix Concordia, reddere castris
Victrices aquilas, atque in tentoria cogi.
Nunquam tanta fuit species, nec par Deus vlli
Militiæ, cum dispositis bifida agmina longe
Duceret ordinibus, peditum psallente caterua.

Ast alia de parte equitum resonantibus hymnis,
Non aliter cecinit respectans victor hiantem
Israel rabiem ponti post terga minacis,
Cum iam progrediens calcaret littora sicco
Vltiora pede, stridensq; per extima calcis
Mons rueret pendentis aquæ, nigrisq; relapso
Gurgite Nilicolas fundo deprnderet imo,
Ac resfluente sinu iam redderet vnda natatum
Piscibus, & nudas præceps operiret arenas.
Pulsauit resono modulantia tympana plectro
Turba Dei celebrans mirum ac memorabile seclis
Omnipotentis opus, liquidas inter freta ripas

Flu

Fluctibus incis, & subsistente procella
 Crescere, suspensosq; globos potuisse teneri.
 Sic expugnata vitiorum gente, resultant
 Mystica dulcimodis virtutum carmina psalmis.
 Ventū erat ad fauces portæ castrensis, vbi arcum
 Liminis introitum bifori dant cardine claustra.
 Nascitur hic inopina mali lachrymabilis astu
 Tempestat, placidæ turbatrix inuida Pacis:
 Quæ tantum subita vexauit clade triumphum.

Fertur auaricia) Certamen Misericordiae uel potius
 liberalitatis cum auaricia: & quia dixerat paulò an
 te, post uictoriam partem de luxuria campū relictum ho
 stium exuijs plenum, dicit nunc auariciam eò descendisse,
 sinusque spolijs impleuisse. Præcincta gremio, ita ut ex
 sinuosa ueste amplum receptaculum faceret. Luxus edax
 omnia consumens, ut Verg. Ignis edax. Est ordo, Auar
 ricia fertur corripuisse manu unca, id est, ad rapiendum
 digitos habens ad uncas. Ad ludibria pulchra, id est, ad
 dicta spolia homines ludentia. Inhians, more nimis cupi
 entium. Infarcire, inculcare, id quod alioqui iam plenum
 scilicet loculos & crumenas. Distendere, implere atque
 infarcire. Verg. Distendant ubera uaccæ. Fiscos, fiscos
 siue fiscelas ex sparto: in quibus reponebantur pecunia
 ex are, præsertim ex publicis uectigalibus. Iuuen. Et ara
 ta multus in arca fiscus. Tegit, proprium auariciæ occul
 tare diuitias. Oprimento, syncopam fecit pro operimen
 to. Ungues ahenos, id est, rigidos & duros acutosque ad
 rapiendum. Cura, quos habeat comites auaricia. Eume
 nides furia, quibus exagitur. Monstri, id est, auariciæ.
 Nec minus, quid auaricia in bello cogat mortales face
 re. Crimina grassantia, id est, sæuientia. Campo, in quo
 pugnandum est. Nigro lacte, cum alioqui sit album. Ger
 manus commilito, id est, in eadem parte exercitus, quod
 execrabilis est. Fuluis ceraunis, speciē pro genere, neq;
 enim ceraunus lapis adeo est preciosus. Exercere, sirm
 gere in fratrem. Socio, eiusdē partis fautor: quod ut dixi
 mus

AVRELII PRVDENTII

mas magis est impium. Sub sorte belli, id est, fortuna, quæ
 ut ait Cicero, cum alijs in rebus plurimū dominetur, tum
 in bello præcipuè vires suas ostentat. Cingula fulgentia
 bullis, id est, balthæa. Verg. xij. Æneid. Balthæus & notis
 fulserunt cingula bullis. Ciuilis discordia, quia hæc auaricia
 crimina in bellis maximè ciuilibus contingunt. Præ
 dam cognatam, id est, ex spolijs cognatorum. Proprijs pi
 gnoribus, id est, etiam proprijs filijs. Suos natos, idem di
 cit sed alijs uerbis. Victrix orbis, id est, quæ totum orbem
 suis moribus infecerat. Talia funera, id est, crimina. Vul
 neribus uarijs, quia alios alia uia decipit. Vnde subdit:
 Nunc lumine adempto: obcæcat enim illum ut nesciat dis
 tinguere turpe ab honesto. Effossis oculis, scilicet men
 tis. Offensacula, id est, obices quibus incurrat & in quos
 pedes impingat. Baculo, q. d. si non oculis ducibus saltem
 baculo: itaque omni ope illum destituit, ne possit cernere
 uerum. Intuitu, id est, uidentem, faciens ea quæ uideat, ut
 appareant meliora appetibiliora quæ quàm sint. Excipi
 tur telo, quasi ex insidijs. Vergilius. vi. Æneid. Aemu
 lus exceptum triton. Incautus, nihil tale timens. Sub oc
 culto cordis, id est, sub corde occulto. Suspirat saucius,
 uidens iam se sub auaricia dominio: sed iam non posse
 redire in pristinam libertatem. Adactum, id est, in inti
 ma pressum. In aperta incendia, id est, in manifesta pe
 ricula. Quibus aestuat aurum, id est, ardet. Speculator a
 uarus, qui uidet res preciosas incendio perire. Occupat
 interitu, id est, interimit. Terrarum uitium, id est, homi
 num in terra uiuentium. Acuum populi mundum, id est,
 uitam hominum. Gehennæ, morti æternæ. Sacerdotes do
 mini, quos sacerdotes significet, non ausim dicere an He
 li, cuius filios corrupit: nam de samuele, Achimalech, A
 biathar, Sadoe, non est dignum credere. Post Iudam As
 monai, hoc est Machabæum, quod interpretatur pugnax,
 omnes auaritia propè subegit. Pro laude uirtutum, non
 pro sua gloria. Classica, id est, tubas ad prælium animan
 tes. Et fors, forte fortuna. Tinxisset ferrum, id est, in sen
 ten

sentiam suam illos traxisset. Ratio armipotens, imò quæ
 potentior est omnibus armis. Vna comes fida, id est, quæ
 sola semper comitata est sacerdotes. Gentis Leuitidis,
 id est, sacerdotum qui erant de genere Leui: à Leuita
 nanque pro genere feminino Leuitis Leuitidis dicimus.
 Ab incurfu atra hostis, id est, inuasionem turpis auariciæ.
 Stant fortes animi, subaudi sacerdotum. In cute summa,
 quia uulnus non descendit ad uiuum. Perstringens, leuiter
 tangens. Paucis, scilicet ex sacerdotibus, qui aliquando
 in paruis ab auaricia corrumpuntur. Lues improba, id est
 hominum pestis. Sua tela repelli, id est, reperiuntur & non
 admitti. Iugulis castis, id est, non corruptis. Heroum, id
 est, sacerdotum semideorū, de quibus scriptura dicit, ego
 dixi, dii estis. Vincimur, quia hoc genus hominum nō pos-
 sumus superare. Vim solitam, qua ante hac omnes supera-
 bamus. Quæ sueuerat, id est, consueuerat. Ferrea natura,
 dura & impenetrabilis. Cuius rigor, id est, duricia. Spers-
 neret æra, id est, pecunias. Nostro auro, quo omnes expu-
 gnare consueuimus. Neci dedimus, id est, usque ad inter-
 nationem profligauimus. Pectora tenera, quod in genere
 dixit, ingenium omne neci dedimus: nunc per partes enu-
 merat. Patuerunt, id est, exposita & aperta fuerunt meis
 telis. Sola, quasi nō & alia uitia plures demerferint in in-
 feros, sed loquitur ex arrogantia, quod prope sola, cum
 plures q̄ alia uitia in Styga detruserit. Styx, palus apud
 inferos. Dii cuius iurare timent et fallere numen. Auaris
 gurgitibus, quia quæ semel uorauit, nunquam remittit.
 Ditissima tartara, quippe in qua omnia terminantur, un-
 de & Pluto deus inferorū. Dis, hoc est, diues appellatur.
 Debent nobis, quia ego illos transmisi illuc. Quod uolunt
 secula, id est, homines in hoc seculo, quod miscet atque
 perturbat mentiendo, peierando, imponendo, decipiendo q̄,
 totum est auariciæ opus. Quod miscet, idem dicit. Qui fit,
 .i. quomodo potest fieri hoc. Gloria pollēs, id est, qua ante
 hac ego pollebam. Deserit uires. s. meas pristinas. Ludit
 lacertos, in quibus nulla mihi sunt uires ad torquenda te-
 la

lā in Christianos præcipuè. Effigies monetæ rutilantis, id est, moneta aurea habens effigie impressam. Emblemata argenti, id est, uasa argentea in quibus sunt imagines cælatæ, nam argumentū cælaturæ dicitur emblemata. Honore migrante, quia thesauri nō habentur in precio apud illos. Docta fastidia, id est, homines thesauros fastidietes. Scarioth, id est, ex Iuda Scariothe. Conuiuia dei, Christi conubernalis. Fallit haud ignarum, id est, consciuum eorum quæ Iudas subripiebat. In nostrū telum, cum acceperit triginta argenteos proditionis precium. Mercatus agrum, non ipse, sed illi quibus ipse precium restituit. Infamem agrum, id est, testem infamis proditionis. De sanguine, id est, de precio sanguinis Christi. Luiturus, id est, in pœnam soluturus. Iugera, id est, precium quo ager ille est emptus. Collo eliso, quia se suspendit laqueo. Viderat Iericho, ex Iosue libro cap. vii. quomodo Achan fuit lapidatus à populo propter furtum ex præda hostili. Nostra manus, quia superauit Achan. Victor, expugnata urbe Iericho. Succubuit, uictus à me. Legens anathema insigne, id est, furto surripiens pallium coccineum, ducentos siclos argenti. &c. quæ erant domino consecranda, & separanda ab usu profano. Fauillis uetitis. s. à Iosue, cap. vi. Haurit, id est subripit Achan. Iuda, erat enim Achan ex tribu Iuda, qui numeratur in genealogia Christi. Tali nepote. i. Christo. Quis placet, pro quibus placet: exemplū generis sumentis exemplum à suis maioribus. Placeat forma, quæ ex illis imitentur. Eadem pœna, i. æque peccantes æque puniatur. Populares inde, ex qua tribu fuit Achan. Sacri cola, i. Aaron qui fuit ex tribu Leui. Impar. s. ego. Nil refert. Verg. ij. Aeneid. Dolus an uirtus quis in hoste requirat? In habitu honestū, cū in proprio nō posset fallere. Virtus frugi. i. frugalitas, & totū hoc sumptū est ex Iune. Fallit enim uirū specie uirtutis et umbra. Nec dubie tanq̃ frugi laudatur auarus, Tanq̃ parcus homo & rerū tutela suarū. Tanq̃ nil raptet, sed nō satis est. abstinere ab alieno, nisi etiā de proprio benefeceris. Ceu sedula, quasi diligens

gens custos. Artis adumbrata .i. uirtutis non uera: nã uirtus Ars pro alterutro accipiuntur. Mēdax bellona .i. auaricia bellū gerēs cū hoībus. Huius specie, aut frugalitatis aut parsimonia. Non ut auara lues .i. pestilens auaricia. Sed uirtus parca .i. parsimonia quæ à liberalitate paululū declinat ad auariciã. Pietatis tegmine. .i. sub colore acquiritendi filijs: in quos est patrum pietas. Crimes. anguineos, quos auaricia quasi furia habet. Furori. s. acquiredi. Quod rapere. .i. rapinam. Clepere .i. furtū, nam clepo est furor. Iactat. .i. fingit. Sub dulci noīe. .i. honesto. Corda male credula. .i. qđ malum est credentia. Monstrū ferale .i. auariciã. Impia erinnys. .i. furia hoc est auaricia. Arctat caput manicus, improprie pro uinculis posuit, potest qz legi caput, ut fugiamus improprietatē. Consensu faciles. .i. consentientes se uinciri, quasi sit figura synechdoche, quæ nō consueuit fieri per uerbū actiuū, sed melius est ut legas cōsensu facili. Nutabat. .i. dubitabat. Bisformis portenti, id est, auaricia sub honesta specie ad malum suadentis. Letum uersatile, sub audi erat. quia dubitabat acies uirtutū pro qua parte occūberet. Lubricat uisus, id est, huc atqz illuc uoluit oculos, quod ipsum dubitatis est quid faciat. Misericordia, quā autor opponit auariciæ. Auxilio socijs, .i. in auxilium sociorū. Postrema gradu, sed in hac pugna futura uictrix. Triste, id est, timendum ab hoste. Omnibus ibat, mirū quæ omnia pauperibus bona sua elargita est. Onus, diuitiarum. Multo fasce, id est, onere. Vergil. Ego hoc te fasce leuabo. Libera, id est, expedita & exonerata. Bēigne, id est, largiter, sicut e contrario maligne pro anguste. Vergil. Vi. Aencid. Sub luce maligna. Bene prodiga, quia & si prodigalitas uicium est atqz uituperabilis, hæc tamen laudanda est. Loculos manes, id est, facta pauper, sed diues fide. Numerans summam æternam, id est, expectans quasi rem iam manibus teneat. Fænore redituro, quæ pro simplis centena reddentur. Fulmen inuictæ uirtutis, id est, miserationis impetum animique uigorem. Certa mori, præ desperatione uincendi. Quæ uia fraudis? q. d.

AVRELII PRVDENTII

nullus est relictus locus dolo. Ut ipsa calcatrix mundi, id est diuitiarum contemptrix. Spreto auro, quo sola auaricia alios consuevit superare. Virtus fortissima, id est, miseratio. Nodus ulnarum comprimens illam inter brachia. Exanguem gulam, id est, mortuam. Vincla lacertorum, eadem uincula & comprimebant lacertos & guttur submentum, & extinguunt animam. Nullo uulnere sed tantum uinculorum compressione. Palpitat, per partes corporis tremat. Intercepto aditu, id est intercluso meatu spirandi. Carcere uenarum, quia non exhalauit animam per fauces: sed intercluso spiramento quasi in carcere extincta est, et loquitur de anima non qua sentimus, uiuimus, & intelligimus, quae immortalis est: sed de anima qua spiramus & respiramus. Persius. Pulmo animae prae largus anhelet. Reluctanti, scilicet auaritia. Perfodit, id est transuerberat. Illa anhelet, nam partes illae potissimum spiritu intenduntur & remittuntur. Sordida spolia, id est, turpiter acquisita. Frustra auri rudis, id est, non formati in nummos aureos, & est appositio ad id quod dixit spolia. Marsupia exesa, id est, corrupta & nimia attritione consumpta. Crebris cinclis, id est, crebra cincluram nam ex eo erat attrita marsupia quod crebro illa cingebat auaritia. Nummos uirides, quia pecuniae ex aere contrahunt eruginem quandam uiridem. Diu seruata, ab auaritia. Dissipat, id est, diuidit. Tenuis, id est, pauperes. Munere captiuo. i. quod ex hoste auaritia cepit. Coronam. i. milites suos in circuitu assistentem. Soluite procinctum, id est, belli apparatus: uel potius procinctus dicebatur, ut inquit Festus, cum exercitus cinctus erat ritu gabino cōfestum pugnaturus. Plinius lib. viij. cornibus in procinctu ad dimicandum paratis. In gluuie pereunte, id est, uoracitate pecuniarum in auaricia. Summa quies, id est, maxima tranquillitas animi. Super, id est, ultra. Simplex alimonia, quae sufficit intra naturae fines uiuenti. Vna uestis, ex Euangelico consilio, qui habet duas tunicas det unam non habenti. Recreet, & ad id quod dixit simplex alimonia refertur. Non trahat extra. i. quisque non

non

non transgrediatur. Modum naturæ expletum. i. finem, cū
 natura habet quod satis est ad necessitates uictus & uesti-
 titus. Per am ne tollito. Consilium quoque Euangelicum.
 Tunica alterius, subaudi ab ea quā habes. Redeunt cū so-
 le, quod fit prouidentia quadā diuina. Cras cogitet, id est
 de crastino sollicita sit. Non anxia. i. sine cura. Credat se
 pascendam. i. quod non deficiet sibi cibus. Volucres uiles,
 id est parui pretij. Subest fides. i. credunt. Modico asse.
 ad illud quod Euāgelista dicit, Duo passeret asse ueneunt:
 & alius, Quinq; passeret ueneunt dipondio. Tu cura Dei,
 id est cuius peculiarem curam habet Deus. Facies Chri-
 sti, ad cuius similitudinem factus es. Vita dator, & hoc
 de iure naturali. Quærite, ordo est, uos immemores corpo-
 ris, id est, nullam curam illius habentes. Quærite pastum
 luciferum, id est, cœlestem & spiritalem. Dogmate cœles-
 sti, id est ex saluatoris nostri sententia, qui ait: Operamini
 cibum qui non perit. Multiplicans spem, quia omnis il-
 lius spes ex futuro seculo pendet. Indiga membra, id est,
 indigētia cibo, potu & uestitu. His dictis, hemistichio est
 Vergil. vi. Aeneid. Metus & labor. & c. Hæc in comitatu
 auaritiæ erant. Fraus inficiatrix, i. negatrix & aduersa.
 Fidei placida. i. quæ cōciliat homines inter se ut placide
 uiuant. Uertere solum. i. fugerunt. quanquā uertere solum
 proprium est fugere ob debita. Iuuen. Qui uertere solum
 Baias & ad ostia currunt. Pax, quæ secuta est post uicto-
 riam. Discinditur, id est, dissipatur. Exfibulat ilia, pro re-
 fibulat & resoluit quasi loricam. Vestis defluit, quod in pa-
 ce fit. nam in pugna uestes præcinctæ sunt. Virgil. pri.
 Aeneid. Vestis pedes defluxit ad imos. Priuata modestia,
 id est, priuatam uitam agens, id est, non ductans exercitū.
 Curua æra. cornua æra: nam tuba recta est. Ouid. Non
 tuba directi, non æris cornua flexi. Placabilis, q prius erat
 iratus. Implet uaginā, id est, reponitur. Suda facies, id est
 serena. Verg. iiii. Geor. Ergo ubi uer naclæ sudum. Liqui-
 da diei. i. pura & defecata. Vultū tonantis, id est Deum
 adesse. Turmæ arridere, pro arridebant inuicem. Et gau-
 dere

AVRELII PRUDENTII

dere pro gaudebant. *Aperire arcem & portum profundum, quia portus quò profundior eò securior est: ponit autem portum pro regno cœlesti quò omnes tendimus. Dat signum. i. iubet canere receptui. Victrices aquilas, more Romanorum loquitur, quorum uexilla aquilas habebant. Cogi. i. plicata reponi. Tanta species. i. uictoriæ pulchritudo. Nec par decus. i. æqualis honore. Duceret. s. concordia. Bisida agmina. i. in duas partes diuisa. s. peditum & equitum. Nō aliter cecinit. Comparatio est, quòd post uictoriã partam de auaricia sic cecinit Dei laudes uictor exercitus: quemadmodū Israel cum uidit insequētes Ægyptios in mari submersos. Exo. xv. Tunc cecinit Moscs & filij Israel car. & c. Hiantem rabiem ponti. i. pontum in duas partes fissum. Littora ulteriora, quæ erant ex aduerso littoribus Ægyptiorū. Mons aquæ pendentis. Verg. i. Æn. Insequitur cumulo præruptus aquæ mons. Per extimã calcis. i. extra pedes Hebræorū, nam extimus. a. um. ab extra deducitur in forma superlatiui. Nilicolas. i. Ægyptios, qui fere oēs habitant iuxta Nilum. Arenas nudas, cum apertū erat mare. Turba dei, Israel. Pleetro, quo tympana pulsantur. Opus omnipotentis, hoc est ripas. Liquidas. i. pura & purgatas: & posuit ripas, pro littorib. Subsistente procella. i. pendēti procelloso mari, factō hinc inde pariete. Crescere. i. in longum quā ituri erant aperiri. Globos. i. maris undas globosas. Resultant. i. resonāt. Ventum erat. i. exercitus post uictoriã uenerat. Ad fauces, ad angustias. Portæ castrens, portam prætoriam dicit, erat & decumana & principalis. Bisori cardine, quia ualueduæ sunt ostiorum plerunque. Inopina tempestas, id est, subita & non præuisa. Astu, id est, astutia & dolo discordiæ. Inuidia turbatrix, ea erat discordia quæ inuidit paci quæ secuta est uictoriam superiorem.*

CONCORDIÆ ET DISCORDIÆ PUGNA.

Inter confertos cuneos Concordia fortè
Dum stipata pedem iam tutis mœnibus infert,

Excipit occultum vitii latitantis ab ictu
 Mucronem leuo in latere, squalentia quauis
 Texta catenato ferri sub tegmine corpus
 Ambirent, sutis & acumen vulneris hamis
 Respuerent rigidis, nec fila tenacia nodis
 Impactum finerent penetrare in viscera telum.
 Rara tamen chalybem tenui transmittere puncto
 Commissura dedit, qua sese extrema polita:
 Squama ligat tunicae, sinus & sibi conserit oras.
 Intulit hoc vulnus pugnatix subdola victæ
 Partis, & incautis victoribus insidiata est.
 Nam pulsa culparum acie Discordia, nostros
 Intrarat cuneos, sociam mentira figuram.
 Scissa procul palla, structum & serpente flagellum
 Multiplici, media camporum in strage iacebat.
 Ipsa redimitos olea frondente capillos
 Ostentans, festis respondit læta choreis.
 Sed sicam sub veste tegit, te maxima Virtus,
 Te solam tanto è numero, Concordia tristi
 Fraude petens. Sed non vitalia rumpere sacri
 Corporis est licitum, summotenus extima tactu
 Læsa cutis, tenuem signauit sanguine riuum.
 Exclamat Virtus subito turbata: Quid hoc est?
 Quæ manus hic inimica later? quæ pectora nostra
 Vulnerat, & ferrum tanta inter gaudia vibrat?
 Quid iuuat indomitos bello sedasse furores,
 Et sanctum vitis pereuntibus omne receptum,
 Si Virtus sub Pace cadit? Trepida agmina mæstos
 Conuertere oculos, stillabat vulneris index
 Ferrata de veste cruor, mox & pavor hostem
 Comminus astantem prodit: nam pallor in ore
 Consciis audacis facti, dat signa reatus,
 Et deprensa tremit languës manus, & color albës
 Circunstat properè strictis mucronibus omnis
 Virtutum legio, exquirens feruente tumultu
 Et genus, & nomen, patriam, sectamq; deumq;,
 Quem

AVRELII PRVDENTII

Quem colat, & iussu cuiatis venerit. illa
 Exanguis, turbante metu Discordia dicor,
 Cognomēto heresis, Deus est mihi discolor, inq̄r,
 Nunc minor, aut maior, mō duplex, & mō simplex
 Cum placet aëreus & de phantasmate visus,
 Aut innata anima est, quoties volo ludere numen,
 Præceptor Belial mihi fit, domus est plaga mūdi.

Nō tulit vltius capti blasphemia monstri
 Virtutum Regina Fides: sed verba loquentis
 Impedit, & vocis claudit spiramina pilo,
 Pollutam rigida transfigens cuspide linguam.
 Carpitur innumeris feralis bestia dextris,
 Frustratim sibi quisq̄ rapit, quod spargat in auras,
 Quod canibus donet, coruis quod edacibus vltro
 Offerat, immundis cæno exhalante cloacis
 Quod tradat, mōstris q̄a mandet habere marinis,


* Discif-
 sumq̄ fe-
 ris.

* postquā
 intra tuta
 morari cō-
 tigit, ac sta-
 tione frui

* Discissum fœdis animalibus omne cadauer
 Diuiditur, ruptis perit hæresis horrida membris.
 Compositis igitur rerum, morumq̄ secundis
 In commune bonis, * tranquillæ plebis ad vnum
 Contigit hac statione frui, valloq̄ foueri
 Pacificos sensus, & in otia soluere curas.
 Extruitur media castrorum sede tribunal
 Editiore loco, tumulus quem vertice acuto
 Excitat in speculam, subiecta vnde omnia latē
 Liber inoffenso circumspicit aëre visus,
 Hunc sincera Fides, simul & Concordia sacro
 Fœdere iurata Christi sub amore sorores
 Conscendunt apicem, mox & sublime tribunal.
 Par sanctum, charumq̄ sibi supereminet æquo
 Iure potestatis, consistunt aggere summo
 Conspicua, populosq̄ iubent astare frequentes.
 Concurrūt alacres castris ex omnibus omnes,
 Nulla latet pars mentis iners, quæ corporis vllō
 Intercepta sinu per conceptacula sese
 Degeneri languore tegat, tentoria apertis

Cun

Cuncta patent velis, referantur carbasa, ne quis
 Marceat obscuro stertens habitator operto.
 Auribus intentis expectat concio, quid nam
 Victores post bella vocet Concordia princeps,
 Quam velit atq; Fides virtutibus addere legem.

Erumpit primam in vocem Concordia tali
 Alloquio, cumulata quidem iam gloria vobis
 O patris, ô domini fidissima pignora Christi,
 Contigit: extincta est multo certamine sæua
 Barbaries, sanctæ quæ circunseperat vrbis
 Indigenas, ferroq; viros, flammâq; premebat.
 Publica sed requies priuatis rure, foroq;
 Constat amicitii: scissura domestica turbat
 Rem populi, titubatq; foris, quod dissidet intus.
 Ergo caute viri, ne sit sententia discors
 Sensibus in vestris, ne secta exotica tectis
 Nascatur conflata odiis: quia scissa voluntas
 Confundit variis arcana biformia fibris.
 Quod sapimus coniungat amor: qd̄ viuimus, vno
 Conspiret studio. nil dissociabile firmum est. 
 Vtq; homini atq; Deo medius interuenit Iesus,
 Qui sociat mortale patri, ne carnea distent
 Spiritui æterno, sitq; vt Deus vnus vtrunq;
 Sic quicquid gerimus, mentisq; & corporis actu,
 Spiritus vnimodis texat compagibus vnus.
 Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum,
 Pax belli exacti pretium est, pretiumq; pericli.
 Sydera pace vigent, consistunt terrea pace.
 Nil placitum sine pace Deo, non munus ad aram
 Cum cupias offerre probat, si turbida fratrem
 Mens impacati sub pectoris oderit antro,
 Nec si *flammiuomis Christi pro nomine martyr
 Ignibus insilias, seruans inamabile votum
 Bile sub obliqua, pretiosam prosit I E S V
 Impendisse animam, meriti quia clausula Pax est,
 Non inflata tumet, non inuidet æmula fratri.

flammi-
 comis

Om

AVRELI PRUDENTII

Omnia perpetitur patiens, atq; omnia credit.
 Nunquam læsa dolet, cuncta offensacula donat.
 Occasum lucis venia præcurrere gestit
 Anxia, ne stabilem linquat sol conscius iram.
 Quisq; litare Deo mactatis vult holocaustis,
 Offerat in primis Pacem: nulla hostia Christo
 Dulcior, hoc solo sancta ad donaria vultum
 Munere conuertens, liquido oblectatur odore.
 Sed tamen & niueis tradit Deus ipse columbis
 Pennatum tenera plumarum veste colubrum
 Rimante ingenio docte internoscere mixtum
 Innocuis aibus: latet & lupus ore cruento
 Lacteolam mentitus ouem sub vellere molli,
 Cruda per agninos exercens funera rictus.
 Hac sese occultant Fotinus & Arrius arte,
 Immanes feritate lupi: discrimina produnt
 Nostra, recensq; cruor quis de corpore summo
 Quid possit furtiua manus, gemitum dedit omnis
 Virtutum populus, casu concussus acerbo.

Tunc generosa Fides hæc subdidit: Imò secundis
 In rebus cesset gemitus, Concordia læsa est,
 Sed defensa Fides: quin & Concordia sospes
 Germanam comitata Fidem, sua vulnera ridet.
 Hæc mea sola salus, nihil hac mihi triste recepta,
 Vnum opus egregium restat post bella labori
 O proceres, regni quod tandem pacifer hæres
 Belligeri armatae successor inermis & aula

*Instru Fumarat calido regum de sanguine dextra.
 xit. Sanguine nam terfo templum fundatur, & ara
 Ponitur auratis Christi domus ardua tectis,
 Hierusalem templo tunc illustrata quieto
 Suscepit iam diua Deum, circumuaga postquam
 Sedit marmoreis fundata altaribus arca.
 Surgat & in nostris templum venerabile castris.
 Omnipotens cuius sanctorum sancta reuisat.

Nam

Nam quid terrigenas ferro pepulisse phalanges
 Culparum prodest, hominis si filius arce
 Ætheris illapsus, purgati corporis urbem
 Intret inornatam, templi splendentis egenus?
 Hactenus alternis sudatum est cominus armis,
 Munia nunc agitet tacitæ toga candida Pacis,
 Adq; sacri sedem properet discincta iuuentus.
 Hæc vbi dicta dedit, gradibus Regina superbis
 Defiliit, tantiq; operis Concordia consors,
 Metatura nouum iacto fundamine templum:
 Aurea planiciem spatii percurrit arundo
 Dimensis, quadrent vt quattuor vndiq; frontes,
 Ne commissuris distantibus angulus impar
 Argutam mutilet per dissona symmetra normam.
 Auroræ de parte tribus plaga lucida portis
 Illustrata patet, triplex aperitur ad Austrum
 Portarum numerus, tres occidualibus offert
 Ianua trina fores, toties Aquilonis ad axem
 Panditur alta domus: nullum illic structile saxum,
 Sed caua per solidum, multoq; forata dolatu
 Gemma relucenti limen complectitur arcu,
 Vestibulumq; lapis penetrabile concipit vnus,
 Portarum summis inscripta in postibus auro
 Nomina Apostolici fulgent bisseua Senatus.
 Spiritus his titulis arcana recondita mentis
 Ambit, & electos vocat in præcordia sensus.
 Quiaq; hominis natura viget, qua corpore toto
 Quadrua vis animæ, trinis ingressibus aram
 Cordis adit, castisq; colit sacraria votis.
 Seu pueros Sol primus agat, seu feruor ephebos
 Incendat nimius, seu consummabilis æui
 Perficiat lux plena viros, siue algida Borræ
 Ætas, decrepitam vocet ad pia sacra senectam.
 Occurrit trinum quadrua ad compita numen,
 Quod bene discipulis disponit rex duodenis.
 Quin etiam toridem gemmarum insignia textis

AVRELII PRUDENTII

Parietibus distincta micant, animasq; colorum
 Viuentes liquido lux euomit alta profundo.
 Ingens chrysolitus natiuo interlitus auro,
 Hinc sibi sapphirum sociauerat, inde beryllum,
 Distantesq; nitor medius variabat honores.
 Hinc chalcedon hebes perfunditur ex hyacinthi
 Lumine vicino, nam forte cyanea propter
 Sragna lapis cohibens, ostro fulgebat aquoso.
 Sardonychen pingunt amethystina, pingit iaspis
 Sardonium iuxta appositum, pulcherq; topazon.
 Has inter species smaragdina gramine verno
 Prata virent, voluitq; vagos lux herbida fluctus.
 Te quoq; conspicuum structura interferit ardens
 Chrysoprase, & sydus saxis stellantibus addit.
 Stridebat grauidis funalis machina vinclis,
 Immensas rapiens alta ad fastigia gemmas.

At domus interior septem subnixa columnis
 Crystalli algentis, vitrea de rupe recisis
 Construitur, quarum tegit edita calculus albens
 In conum cæsus capita, & sinuamine subter
 Subductus conche in speciem, quod mille talentis
 Margaritum ingens opibusq; & viribus*arte
 Adductis animosa Fides mercata pararat.
 Hoc residet folio pollens Sapientia, & omne
 Consilium regni celsa disponit ab aula,
 Tutandiq; hominis leges sub corde retractat.
 In manibus dominæ sceptrum, non arte politum,
 *Sed lignum viuum est, viridi quod stirpe recisum

*Sed lig
 no viuū
 viridi est
 Quauis nullus alat terreni cespitis humor,
 Fronde tamē viret incolumi, tum sanguine tinctis
 Intertexta rosis candentia lilia miscet,
 Nescia marcenti florem submittere collo.
 Huius forma fuit sceptri gestamen Aaron,
 Floriferum, sicco quod germina cortice trudens,
 Explicuit tenerum spe pubescente decorem,
 *tumuit Inq; nouos subito*viruit virga arida factus.

Red

Reddimus æternas indulgentissime doctor
 Grates Christe tibi, meritosq; sacramus honores
 Ore pio : nam cor vitiorum stercore sordet.
 Tu nos corporei latebrosa pericula operi,
 Luctantisq; animæ voluisti agnoscere casus.
 Nouimus ancipites nebuloso in pectore sensus
 Sudare alternis conflictibus, & variato
 Pugnarum euentu, nunc indole crescere dextram,
 Nunc inclinatis ceruicibus ad iuga vitæ
 Deteriora trahi, seseq; addicere noxis
 Turpibus, & propriæ iacturam ferre salutis.
 O quoties animam vitiorum peste repulsa
 Sensimus incaluisse Deo, quoties tepefactum
 Cæleste ingenium post gaudia candida retro
 Cessisse è stomacho: feruent bella horrida, feruent
 Ossibus, atque inclusa fremit discordibus armis
 Non simplex natura hominis: nam viscera limo
 Effigiata premunt animum. Contrà ille sereno
 Æditus afflatu nigrantis carcere cordis
 Æstuat, & sordes arcta inter vincla recusat.
 Spiritibus pugnant variis lux, atq; tenebræ,
 Distantesq; animat duplex substantia vires,
 Donec præsidio Christus Deus adsit, & omnes
 Virtutum gemmas componat sede piata.
 Atq; vbi peccatum regnauerat, aurea templi
 Atria constituens, texat spectamine morum
 Ornamenta animæ, quibus oblectata decoro
 Æternum solio diues Sapientia regnet.

I Nter confert.) Inducit pugnam concordie cum dis-
 cordia. Confertos cuneos, id est, condensatos ordi-
 nes militum. Concordia stipata, id est, ab omni parte ar-
 mais circumdata. Mœnibus, aut castrorum, aut alicuius ur-
 bis in qua triumphaturi erant. Excipit occultum mucro-
 nem, id est, uulnus accipit ab ictu. Vitij latitantis, i. discor-
 dia, Texta squalentia, i. thoraces sive lorice in modum
 squam

AVRELII PRUDENTII

Squammarum contexta. Nam ut inquit Gell. lib. ij. *squalere dictum est à squammarū crebritate asperitateq; quæ in serpentum pisciumque corijs uisuntur*. Catenato sub tegmine, id est, contexto cum flamme ut sic dixerim. Et respuerent, id est, repellerent. *Acumen uulneris, id est, ensis siue teli*. Hamis rigidis, ex quibus lorica contexta erat. *Suis, id est, contextis*. Verg. v. *Aeneid. Leuibus huic hamis consertam auroque trilicem lorica*. *Fila tenacia, quibus hami loricae connectebant per nodos*. *Telum impactum, id est, uiribus adactum & impulsum*. *Commissura rara, id est, qua parte loricae membra committuntur, id est, coniunguntur*. *Transmittere chalybē, id est, diloricare iuncturam illam*. *Sed puncto tenui, id est, leui punctura, qua sese, exponit qua parte lorica admisit uulnus*. *Extrema squama, id est, loricae ora*. *Ligat sese tunica, armatura quoque est tunica*. Iuuen. *Tunicati fuscina gracchi. Sinus conserit oras, id est, medium illud iungit extremitates*. *Pugnatrix subdola, scilicet discordia*. *Incautis, nihil tale cauentibus*. *Acie culparum, id est, uitiorum*. *Sociam figuram, id est, nobis amicam*. *Palla & flagellum*. Vergil. vi. *Aenci. Discordia demens uipereum crinem uitis inuexa cruentis: & illud, scissa discordia palla. Structum serpente multiplici, id est, textum ex implicatis serpentibus*. *Ipsa leta, simulans se letam*. *Olea frondente, quæ in tutela pacis est, atque pacem petituri illam præferebant*. *Siccam, gladium*. *Petens te fraude tristi, ab effectu quæ tristitiam uictoribus attulit*. *Extima, exterior non interior*. *Summotenus tactu, id est, leuiter perstringens*. Verg. *Summotenus attigit ore. Latet hic scilicet in castris pacificis. Visbrat ferrum, torquet iaculaturque. Sed asse, id est, pacasse & ad tranquillitatē reduxisse*. *Omne sanctum receptum, id est, omnes uirtutes à periculis liberatas & restitutas*. *Conuerytere oculos, scilicet ad uerba concordiae*. *Index uulneris, appositue, id est, qui cruor signum erat uulneris*. *Ferrata de ueste, id est, lorica ferrea*. *Hostē scilicet discordiam*. *Pallor conscius, id est, ex consciētia sceleris peracti*

pro

proueniens. Dat signa reatus, pro culpa, ut Iuniores acci-
 piunt: cum reatus sit eius qui postulatur coram iudice siue
 iuste siue iniuste. Manus deprensa, scilicet in crimine. Pal-
 lor albus, id est, ad albedinem uergens, hoc est, ipsa pal-
 lida tremit. Strictis mucronibus, id est euagmatis ensibus,
 Vergil. Stat ferri acies mucrone chorusco stricta parata
 neci. Et genus & nomē, quinq; sunt quæ à discordia quæ-
 runtur, genus, nomē, patria, religio. Quis illam misit. Ad
 quæ omnia respondet. Cuiatis iussu, pro cuius, deriuatiuū
 pro primitiuo. Discordia dicor, ecce nomen. Hæresis, ecce
 genus, nam cognomentū cōmune est multorū. Deus disco-
 lor. i. uarius. Nunc minor aut maior, ut Arrianus, qui dixit
 filium minorē patre. Modo duplex, ut quidā Græcorū q̄
 tertiam personam in diuinis excluderunt. Modo simplex,
 ut Manicheus, qui unam tantum personam posuit sortitā
 per officia diuersa nomina. Æreus & de phantasmate,
 hoc Manicheus de Christo dixit sumpsisse corpus phanta-
 sticum. Anima innata. i. anima mundi, ut Plato. Numen
 .i. uerus deus, sed cum ludit nō cum re uera fatetur. Fides
 quam à principio induximus cum idololatria pugnantem.
 Regina uirtutum, quia est illarum fundamentū. Pilo, telo
 Romanorum proprio, cuius ferri acumine illius transfixit
 linguam. Carpitur. i. in partes laceratur. Frustratim. i. per
 frustra. Cloacis immundis, quæ sunt emunctoria per quæ
 sordes urbis expelluntur, partim ex latrinis partim aliarū
 sordium colluione. Columella, Immūdis quæcūq; uomit
 latrina cloacis. Monstris marinis. i. maris piscibus ad de-
 uorandam: sed appellat monstra, quia diuersarum forma-
 rum quotidie in mari reperiuntur aquatilia. Fœdis animas
 libus, carniuoris & feris. Hæresis, nimis inconstanter: cum
 prius primam breuiarit, hic eandem produxit. In com-
 mune, id est ad publicam omnium utilitatem. Tranquilla
 plebis, ordo est, contigit sensus pacificos plebis tranqui-
 læ frui hac statione. i. uigilia siue loco in castris ubi mil-
 tes stat expediti. Foceri uallo, id est, recreari intra castra
 uallo, fossa, propugnaculisq; munita. Tribunal. i. suggestū

AVRELII PRUDENTII

unde Concordia ad populum concionatura erat. Quem. s. locum: Tumulus excitat in speculam. i. erigit in cacumen siue montis uerticem, unde speculari in omnes partes quispiam posset. Vnde. i. ex qua specula. Visus liber. i. expeditus. Conscendunt hunc apicem. i. hunc montis uerticem. In rata, coniurata. Par sanctum, quia ambæ inter se pares erant, sanctum quoque & charum sibi dixit: quia de duobus inter se certantibus proprie dicitur. Horat. i. Ser. Rupilii & Persi par pugnat. Supercminet tribunal. i. eminet super tribunal. Conspicua. i. ab omnibus conspicienda. Frequentes. i. crebros & condensatos. Nulla latet: sensus est, usque adeo omnes alacri animo concurrebant ad concionem, quod nulla erat animi pars quæ non gestiret in lætitiâ. Iners. i. ociosa. Quæ intersepta. i. circumclusa. Vllò sinu corporis, id est, quæ animi pars aliquando solet recipere se ad intima, cogitandi aliquid aut contemplandi gratia. Tegat sese, id est, in tanta celebritate recolligat sese. Per conceptacula. i. per interiores recessus. Langore degeneri. i. inertia. Velis. s. tentorium tabernaculorumque. Carbasæ. i. uela ex carbaso, quod est genus lini, & dicit idem. Ne quis marceat, in tanta sollemnitate dormiat in loco abdito. Concio. i. quæ uenerunt ad concionem quasi concilium. Virtutibus. s. alijs atque illarum studiosis. Prima, id est, prior, quia de duobus loquitur. Gloria cumulatâ. i. cumulate parta. Pignora fidissima, id est, filij. Barbaries. s. uitiorum barbarus exercitus. Sanctæ urbis, in qua boni habitant. Indigenas, id est, incolas ibidem genitos. Publica requies, sensus est, quod concordia publica constat ex amicitijs priuatis. Publica requies, id est, ciuitatis tranquillitas. Rare & foro, id est, intra urbem: & extra urbem. Scissura, id est discordia. Quod dissidet intus, id est, in domibus priuatis discordat. Titubat foris, id est fluctuat in rep. sensibus in uestris, id est, intra uos. Exotica, id est, extranea & peregrina opinio. Conflata odijs rectis, id est, occultis inimicitijs. Nascatur, & quæ est consequens inualescat. Voluntas scissa, id est, non uniformis

sed

sed discors. Arcana biformia .i. ambigua & incerta Fi-
 bris uarijs .i. intimis præcordijs uariantibus. Coniungat
 amor .i. Christi charitas cõciliet et cõsentire faciat. Quod
 uiuimus .i. tota uita nostra. Vno studio, quia idem uelle &
 idẽ nolle ea est uera charitas. Vtq; homini, similitudo est
 quòd quemadmodum Christus mediator dei & hominũ,
 conciliauit nos patri, ita spiritus, debet conciliare partes
 intra nosmetipsos dissidentes. Mortale, id est, genus huma-
 num, uel potius naturam humanam, quia subdit: Nec car-
 nea distent spiritui .i. humanitas à diuinitate. Vtrunque. s.
 humanitas. Vnimodis compagibus .i. iuncturis utraq; unũ
 facientibus. Par est precium .i. merces siue præmium. Belli
 exacti, id est, finiti: & periculi subeuitati. Sydera pace, q̃a
 in cœlo nulla est perturbatio, sed summa quies atque con-
 stantia. Terra .i. homines in terra habitantes. Consistunt
 pace, quẽ admodũ dissipantur discordia. Sine pace .i. sine
 animi tranquillitate & odij uacuitate. Non probat, subau-
 di deus. Ex Mach. cap. v. Pectoris impacati, id est, non ha-
 bentis pacem cum proximo. Antro, id est, recessu cordis
 penetrati. & accipit pacem pro charitate, unde subdit ex
 Epistola ad Corin. pri. cap. xij. Ignibus flammiuomis,
 quod Apostolus ait, Si tradidero corpus meum ita ut
 ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi pro-
 dest. Seruans inamabile uotum, id est, non habens cha-
 ritatem. Bile sub obliqua, id est, iratus proximo. Profit
 iunge cum superiori nec, nec profit I E S V Christo ui-
 tam dedisse. Clausula, id est, in qua includitur omnis Chri-
 stiana uirtus, quæ sola meritoria est. Pax pro chari-
 tate, ut supra. Non inflata, omnia hæc ex Apostolo ubi
 supra. Offensacula donat, id est, remittit offensas. Anxia
 id est, sollicita. Præcurrere occasum, id est, antea quàm
 sol occidat. Ex Apostolo Ephes. iij. Sol non occidat
 super iracundiam uestram. Sol conscius, id est, tu Sole te-
 ste non relinquis iram. Litare deo, id est, à deo aliquid
 sacrificio impetrare, nam illud est litare. Liquido odo-
 re, alludit ad Iudæorum holocausta, ex quibus incensis

AURELII PRUDENTII

*ascendebat fumus ad dominum quasi illum oblectaturus. Liquidum uero appellat odorem ex flammis resolutum. Persius. Tot tibi cum in flammis iunicum omenta liquescant. Ad donaria, loca in templo quò dona feruntur. Vergil. iij. Georg. Imparibus ductos alta ad donaria currus. Columbis niueis. Ex Euangelio Mat. x. Estote prudentes sicut serpentes. Colubrum plumatum, id est prudentiã serpentis. Tenera ueste pennarũ. id est, sub mollibus plumis columbarum. Ingenio rimante interno scere. i. inquirente ad dignoscere. Mixtum, id est, quod se uult immiscere ut decipiat. Lupus, ex eo quod scribitur Matth. vij. Attendite à falsis prophetis &c. Rictus agnimos, cũ rictus proprie sint ferarum & carniuororum animalium. Fontinus & Arrius, insignes hæretici. Discrimina nostra, quando paulò ante uulnerata sum. Dedit gemitum, recordata uulneris à cõcordia accepti. Hæc subdidit, id est, cœpit loqui. In rebus secundis, id est pacificis. Defensa fide, quia illam tutata sum. Sua uulnera ridet, id est, nihili facit me comite. Sola salus, quia hac sospite ego ero sospes. Hac recepta, id est à periculo liberata, ut supra. Vnum opus, scilicet constructio & dedicatio templi siue cœlestis Ierusalem: quæ non ex lapidibus manu quadratis, sed ex beatorum animis construenda est. Quod, scilicet opus, hoc est, templum, per quod significabatur templum hoc spirituale. Solomon pacifer, hoc enim Solomon interpretatur, id est, pacificus. Hæres regis belligeri, id est, Dauid uiri in bellis exercitatissimi, ut in primo & secundo regum legitur. Et successor inermis, idem dicit alijs uerbis. Genitoris anhelus, id est, Dauid in bellis defatigati. De sanguine calido, atque ideo noluit deus, ut ab eo templum ædificaretur, unde in primo Paralipo. cap. xxvij. Non ædificabis mihi domum, eò quòd sis bellator, & sanguinem multum effuderis. Fundatur, fundari debet. Domus Christi, id est familia christianorũ. Hierusalem diua, id est, cœlestis quæ terrenam designat. Templo quieto, id est, pacifico: quia Hierusalem uisio pacis interpretatur. Suscepit deũ, ut in
ea*

ea, hoc est animis fidelium habitaret. Arca circumuaga, habitans ex Philistinorum tabernaculis in domo Obededon, quo ad templum est illi ædificatum à Solomone, ex lib. ij. Regum, cap. vi. vij. Sancta sanctorum, sicut arca in templi sacrario fuit posita. Phalanges terrigenas culparrum, id est, uitiorum exercitum, qui ex terra habet originem, nihilque sapit cœleste. Illapsus, id est, descendens de cœlo. Purgati corporis, quia non satis est animam à uitijs purgatam esse, nisi etiã ornetur quasi sponsa sponso. Egenus templi, non quòd eget Deus tali templo, iuxta illud Psal. xv. Bonorum meorum non eges. Sudatum est, elaborauimus in profligandis uitijs. Alternis, id est, diuersarum partium. Toga, uestis cuius erat usus tempore pacis. Munita & officia. Iuuentus discincta, sicut e contrario in bello milites dicuntur præcincti & esse in præcinctu. Regima scilicet fides. Metatura, graphice descriptura more eorum qui ædificaturi sunt. Templum nouum, iuxta illud Apocal. xxi. Hierusalem nouam descendentem de cœlo. Arundo, hæc metiendi templi ratio ex Apocal. tota sumpta est. Quadrent, id est, in formam quadrati consentiãt. Angulus impar, id est, acutus aut obtusus, hoc est, maior aut minor recto. Cõmissuris distantibus. i. in distãtia commissurarũ ubi duo latera in angulos cõcunt. Mutilet normam. i. defraudet non consentiendo cum illa: est autẽ norma Hispanè el cartabon. Argutam autẽ uocat. i. ingeniosam quia deprehendit errata. Symmetra dissona. i. commensurationes discordantes. Aurora, clara est descriptio ternarum à quatuor mundi lateribus portarum. Saxum structile, id est, quale aliorum ædificiorũ. Sed gemma caua, ut ex foratura in ædificio possit colligari. Vestibulum penetrabile, id est, per quod introitus est ad templi penetralia. Nomina bisseña, id est, duodecim Apostolorũ. Spiritus his titulis, quid sibi uelint nomina duodecim Apostolorum, ostendit, dicens quòd spiritus, id est, sensus spiritualis. Ambit, id est, inquirit. Arcana, id est, secreta quedam mystica. His titulis scilicet duodecim nominũ.

AVRELII PRUDENTII

Vocat in præcordia, id est, ad intimam cogitationem reducit. Sensus electos, id est, exquisitos. Quaque hominis. Ordo est. spiritus addit aram cordis, quia sacrificiū Deo spiritus contribulatus & cor contritum. Trinis ingressibus, subaudi ab unoquoque quatuor laterum, ut ter quatuor reddant numerum Apostolorum. Quæ uiget natura hominis, quæ à corde est fons & origo totius uigoris. Quadræ uis, quæ per quatuor templi latera designantur: sunt quatuor hominis ætates, quæ quatuor quoque partibus diei aut anni coæquantur. Prima pueritiæ, à media nocte ad ortum solis. Secunda adolescentiæ, ab ortu solis ad meridiem. Tertia ætatis perfectæ, à meridie ad occasum. Quarta senectutis, ab occasu ad mediam noctem. Agat, id est, regat. Ephēbos, id est, adolescentes. Aui consummabilis, id est, ætatis consummatæ & perfectæ. Aetas boreæ, id est, senectæ, quæ respōdet illi parti diei in qua sol ab occasu tendit ad septentrionem, sed posuit anapestum pro spondeo in sexto loco. Ad pia sacra, quia ætas senilis religioni uacare debet. Trinum, s. portarum. Ad quadrima compita, id est, quatuor laterum cōcursus. Totidem gemmarum, de quibus in Apocal. cap. xxi. Animas colorum uiuentes, id est, colores uiuos per quos animæ designantur. Profundo liquido .i. fundamentis & medio diaphono & pellucenti. Interlitus auro, habet enim chrysolitus maculas aureas, unde & nomen. Hinc inde, itaque ipse erat medius. Distantes honores .i. pulchritudines, id est, ex uarietate colorum. Vergil. i. Aenid. Latos oculis afflarat honores. Calcedon hebes, id est, subobscurus. Perfunditur, id est, eius color excitatur. Lapis, scilicet, cyaneus, hic est quem seculo nostro turchium dicimus, propter stagna cyanea quæ sunt in ponto siue in sicilia, unde dictus lapis, ut uult poeta. Ostro aquoso .i. purpura marina. Pingunt uarietate colorum, ut Vergil. Pingit uacinia caltha. Prata smaragdina, id est, smaragdi colorem prata habentia tempore uerno. Lux herbida, id est, coloris herbacei lapis. Fluctus uagos, id est, colores fluctuum marinorum,

qui

qui uirides sunt. *Martialis*, Duasque similes fluctibus patres gemmas. de smaragdis loquitur. *Chrysoprase*, gemma uiridis maculas habens aureas unde nomen habet. *Sydes*, id est, syderis splendorem. *Columella* sic dixit, terrestria sydera flores. *Machina funalis*, throelea & epagon dicitur à Græcis. *Vinclis grauibus*, id est, crassis & robustis funibus. *Crystalli argentis*, quia crystallus est aqua congelata & lapis qui ex medijs nubibus eruitur. *Rupe uirena*, id est, niuibus & glacie congelata. *Quarum edita*, id est, altitudinem columnarum, hoc est culmen. *Cæsus inconum*, id est, formatus in cacumen, quod à Græcis epistylum, *Hieronymus capitellum* interpretatur. *Subducta capita*, id est, habentem capita subducta, hoc est, à parte inferiori excauata: & sinuosa, in speciem conchæ, hoc est, striata: petasum Græci uocant partes quæ ex columna epistyllo propendent. *Quem*, scilicet, calculum albenstem. *Fides pararat*, id est, comparauit: hic est ille calculus qui in Euangelio dicitur preciosa margarita, quam qui inuenit homo abiit & uendit omnia quæ habuit & emit eam, per quam Christus intelligitur. *Hoc solio*, id est, templo in quo est solium. *Tutandi hominis*. i. humana Reip. conseruandæ. *Sceptrū*, insigne regiū. *Lignum uiuū*, semper uirens. *Humor alat*, p radices. *Viret fronde*. i. habet frondes uirides. *Miscet lilia*, cum sceptri frondibus. *Sanguine incolumi*, id est, uigente & non corrupto: ut rosa imitentur sanguinis uiui colorem. *Collo marcenti*, id est, languido, quod fit cum lilia flaccescunt. *Forma huius sceptri*, id est, uirga Aaron fuit similis huic sceptro, nam quemadmodum legitur in libro Numerorum capi. xxij. *Virga Aaron floruit inter ceteras uirgas filiorum Israel*, quæ posita est in tabernaculo testimonij à Mose. *Quod scilicet gestamen Aaron*, id est, uirga. *Trudens*, id est, emittens. *Germiuaui inquit uirga Aaron*, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui folijs dilatatis in amygdalas deformati sunt. *Explicuit tenerum decorem*, id est, sparsit flores teneros nimia pulchritudine.

AVR. PRVD. PSYCHOMACHIA.

Spe pubescente, id est, flore in quo est fructus spes germi-
nante. In nouos factus, scilicet amygdalinos. Reddimus
conclusio est operis conueniens principio. Indulgentissi-
me, id est, qui nos molliter & delicate tractas. Reddimus,
grates, pro agimus atque repetimus. Meritos honores, id
est, debitos. Nam cor. q. d. corde non possumus, quia indis-
gni, igitur ore. Tu nos, sensus est, tu fecisti ut cognoscere
possemus hanc compugnantiam animæ secum: id quod in-
tra nos metipsos sentimus. Ordo est, tu uoluisti nos agno-
scere. Pericula latebrosa, id est, unde imminet nobis pe-
riculum latens. Operti corporei, id est, quod occultum
intra nos latet, de quo Psal. Ab occultis meis munda me.
Animæ luctantis, id est, secum compugnantis. Ancipites
sensus, de quibus Apostolus. Ro. viij. Video aliam legem
in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Cresce-
re indole, id est, uincere rationem. Ad iuga deteriora, id
est, uinci & trahi sub iugum peccati. Animam incaluisse
Deo, cum superauit uitia. Tepesactum, ex ardore illo di-
uino remissum. Cessisse, id est, fuisse uictum. Stomacho
tetro, id est, turpi sensu, hoc est, male sentiendo. Ossibus,
i. intra nos ipsis medullis, Non simplex, quia ex altera
parte rationalis ex altera irrationalis pugnat. Viscera. i.
pars irrationalis, quæ corporis cõtagio tendit in malum.
Aditus afflatus sereno. i. cælestem habens originem. Lux
& tenebræ, id est, ratio & appetitus. Duplex substantia,
idem dicit. Distantes, id est, diuersas atq; contrarias. Deus
adfit: quæ sine dei gratia ex tali pugna nõ possumus euade-
re uictores. Sede piata, in regno cælorũ. Peccatũ regna-
uerat scilicet in homine. Atria templi, ut deus in illo ha-
bitet. Spectamine morum, id est, moribus spectatis, hoc
est, uirtutibus perfectis. Sapientia, de qua dicitur Pro-
uer. ix. Sapientia ædificauit sibi domum. Oblectata, scili-
cet animæ ornamenti: ut cum illa ineat nuptias. Aeternum
regnet, nomen pro aduerbio. Vergil. vi. Aeneidos: sedet
æternumque sedebit.

Finis Psychomachia.

AURELII PRUDENTII,
 VIRI CONSULARIS IN
 LIBRVM καθημερινῶν.

PRÆFATIO.

Ode tricolos tristrophos: Primus enim uersus est Glyconius, constans Spondeo, Choriambo, & Pyrrhichio. Secundus Asclepiadeus, constans Spondeo, & duobus Choriambis, & Pyrrhichio. Tertius Choriambus, constans Spondeo, & tribus choriambis, & Pyrrhichio, hoc modo

-- -VV- VV
 -- -VV- -VV- VV
 -- -VV- -VV- -VV- VV

PER quinquennia iam decem
 Ni fallor, fuimus, septimus insuper
 Annus cardo rotat, dum fruimur Sole volubili.
 Instat terminus, & diem
 Vicinum senio iam Deus applicat.
 Quid nos vtile tanti spatio temporis egimus?
 Ætas prima crepantibus
 Fleuit sub ferulis. Mox docuit toga
 Infectum vitiis falsa loqui, non sine crimine.
 Tum lasciuia proteruitas,
 Ac luxus petulans, heu pudet, ac piger,
 Fœdauit iuuenem nequitia sordibus, ac luto:
 Exin iurgia turbidos
 Armarunt animos, & male pertinax
 Vincendi studium subiacuit casibus asperis.
 Bis legum moderamine
 Frenos nobilium reximus urbium,
 Ius ciuile bonis reddidimus, terruimus reos.

IO. SICH. *Ius ciuile bon.) Totam iuris ciuilis uim hoc carmine est complexus. Nam quum in ciuitate bene instituta certum oporteat esse respectum eorum, qui bene*
 de

AVRELII PRVDENTII

de repub. mereantur, & ob id sint beneficio digni, necesse est his leges esse amicas. In eos aut duriores, qui scelere se aliquo nobilitant, qui non tam dedecoris sui causa, quam id etiam, plectuntur, quam ut illis sublatis è medio, boni in ocio uiuant. Verissime ergo solon ille duabus maxime rebus respub. contineri dixit, premio & pana.

Tandem militiae gradu
Euectum pietas Principis extulit,
Assumptum propius stare iubēs ordine proximo.

*Massa: Hæc dum vita volans agit,
lia Irrepsit subito canities seni,
Oblitum veteris *Messalix consulis arguens.

Sub quo prima dies mihi
Quam multas hyemes voluerit, & rosas
Pratis post glaciem reddiderit, nix capitis probat.

Nunquid talia proderunt
Carnis post obitum vel bona vel mala?
Cum iam, quicquid id est quod fuerat, mors aboleuerit.

Dicendum mihi quisquis es:
Mundum, quem coluit, mens tua perdidit,
Non sunt illa dei, quæ studuit, cuius habebis.

Atqui fine sub ultimo
Peccatrix anima stultitiam exuat,
Saltem voce deum concelebret, si meritis nequit.

Hymnis continuet dies,
Nec nox vlla vacet, quin dominum canat,
Pugnet contra hæreses, catholicam discutiat fidem.

Conculcet sacra gentium,
Labem Roma tuis inferat idolis,
Carmen martyribus deuoeat, laudet apostolos.

Hæc dum scribo, vel eloquor,
Vinclis o vtinam corporis emicem
Liber, quom tulerit lingua sono mobilis ultimo.

PER quinquennia) Carmen est tricolon, tristrophon:
primus uersus est Glyconicus, constans spōdeo, choriambus

bo, & pyrrhichio: secundus Asclepiadeus, constans spondeo & duobus choriambis & pyrrhichio: tertius est choriambicus sapphicus, constans spondeo, tribus choriambis & pyrrhichio. Cum poeta ageret annum ætatis septimum & quinquagesimum, quod reliquum erat uitæ dedicat rebus diuinis: itaque numerat studia sua puerilia & adolescentiæ, tum quòd in iuuenili ætate egerit causas, & demde rexerit urbes, & in palatio cum Cæsaris sit uersatus usq; ad senectutem. Fuimus iam, ad illud Vergilianum alludit, Fuimus Troes. Per decem quinquennia, quinquaginta annos. Septimus cardo, id est, septima uertigo siue reuolutio solis. Rotat annum, id est uoluit. Vergilius, Atque in se sua per uestigia uoluitur annus. Insuper, id est, ultra quinquaginta. Instat terminus, id est, mors, quæ omnium finis est. Et diem uicinum senio, id est mortem quæ est senectuti proxima. Quid egimus. q. d. nihil quod esset animæ conducibile. Ætas prima, scilicet puerilis, quæ fuit sub pædagogis, sub ferulis crepantibus, id est, sonantibus, nam ferulis pædagogi in pueros scuiūt. Martialis in disticho cuius lemma est ferula, Ingratæ nimium pueris gratæque magistris, clara Prometheo munere ligna sumus. Columella, Nec manibus mites ferulas nec curribus æquas. Iuuenal. Et nos ergo manum ferulæ subduximus. Mox docuit toga, subaudi uirilil, nam post togam prætextam pueri anno ætatis octauo decimo sumebant togam uirilem: quo tempore ut inquit Terentius, liberior erat uiuendi potestas: & Persius, Totaq; impune subura permisit sparsisse oculos iam candidus umbo. Falsa loqui, blandiri & qualibus: nam adulationis est mentiri. Persius: Cum blandi comites, aut per togam intellexit uitam togatorum qui regibus suis adulantur. Tum, id est, eo tempore aut demde. Proteruitas lasciuia, omnia hæc ad libidinem spectant, lasciuia, proteruitas, petulantia, procacitas, nequitia. Exin iurgia, tempus illud designat cum in foro causas egit. Iurgia, id est, litigia. Seneca in Hercule furente, Hic

AVRELII PRUDENTII

clamosi rabiosa fori iurgia, uenereas improbus iras & uerba locat. Turbidos animos, non perspicientes iustam an iniustam causam defenderemus. Studium uincendi, id est, nimia & immoderata cura uincendi causam turpem. Male pertinax, id est, in malam partem peruicax. Horatius in alia significatione dixit, & digito male pertinaci. Casibus asperis, quia sollicitus erat & sub ancipiti sorte, uinceret ne an uinceretur. Bis legū, dicit se rexisse urbes cum potestate iuris dicendi, hoc est, fuisse prætorē principis beneficio, idque bis sibi contigisse. Reddidimus ius ciuile, id est, iusta petentibus per ius ciuile restituimus. Reos uidetur accipere in ea significatione qua recentiores accipiunt, cum sit reus à quo in iudicio aliquid petitur iuste siue iniuste. Tandē militia gradu, significat se peruenisse ad præfecturam prætorij: nam post principem is erat ordine primus. fuerunt autē sub imperatoribus præfecti prætorio, q̄ sub regibus fuerunt tribuni scelerū, sub consulibus magistri equitum. Pietas principis, id est, princeps piissimus, qui me eò dignitatis euexit. Vita uolans. Ouid. Labitar occulte fallitque uolatilis ætas. Irrepsit subito, ut Vergilius ait, non intellecta senectus. Arguens, id est, reprehendens me. Oblitam, ueteris Massaliæ consulis, sub hoc consule uidetur natus Prudentius. Prima dies, id est, natalis. Quam multas hyemes, id est, annos. Nix capitis, id est, canities. Post obitū carnis, quia anima non interit. Vel bona uel mala, non simpliciter bona uel mala quæ sunt animi, scilicet fortunæ & naturæ bona & mala dicit. Mors aboleuerit, quia quotidie morimur & quotidie commutamur, neque aliud est in nobis uiuere quàm morte accedere. Quisquis es, id est, cum quo mihi sermo est. Perdidit mundum, id est, omnia bona mundana, quæ ut dixi aut fortunæ aut naturæ sunt. Non sunt illa dei, quæ sola animi bona tendunt ad deum, cætera cum uita terminantur. Cuius habebis, id est, in cuius potestate futurus es. Fine sub ultimo, id est, prope mortē. Stultitiam exuat, id est, deponat amorem talium rerum. Si nequit meritis, id

id est, operibus iustis, quanquam & ipsa concelebratio
 meritoria est. Continet, scilicet anima laudet deum die
 nocteque. Pugnet contra hæreses, hæc futura est totius
 operis materia. Emicet liber, illud Apostoli est: Miser ego
 homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? & illud,
 Cupio dissolui & esse cum Christo. Quo, id est, eo quo.
 Lingua mobilis, i. loquens talia, s. diuina. Tulerit me sono
 ultimo, i. optauerit me ferri aut latu iri ultimis precibus,
 hoc est, ut iam inter canendum talia moriar.

HYMNVS AD GALLICANTVM.

Monocolon, dimetrum, Iambicum, Archilochicum,
 Acatalecticum, recipiens locis imparibus Spondeum, &
 nonnunquam Anapestum: paribus uero Iambum, & non-
 nunquam Pyrrhichium, hoc modo.

-- v -- -- vv

A Les diei nuncius
 Lucem propinquam præcinit,

Nos excitator mentium
 Iam Christus ad vitam vocat.

Auferte clamat lectulos,
 Egros, sopores, desides,

Castiq; recti, ac sobrii
 Vigilate, iam sum proximus.

Post Solis ortum fulgidi
 Serum est cubile spernere,

Ni parte noctis addita
 Tempus labori adieceris.

Vox ista, qua strepunt aues
 Stantes sub ipso culmine

Paulò antè quàm lux emicet,
 Nostri figura est Iudicis.

Tectos tenebris horridis,
 Stratisq; opertos segnibus,

Suadet quietem linquere
 Iam iamq; venturo die,

Vt

AVRELII PRVDENTII

Vt cum coruscis flatibus
Aurora cælum sparserit,
Omnes labore exercitos
Confimet ad spem luminis.

Hic somnus ad tempus datus,
Est forma mortis perpetis,
Peccata ceu nox horrida
Cogunt iacere, ac stertere.

Sed vox ab alto culmine
Christi docentis præmonet,
Adesse iam lucem prope,
Ne mens sopori seruiat.

Ne somnus vsq; ad terminos
Vitæ socordis, opprimat
Pectus sepultum crimine,
Et lucis oblitum suæ.

Ferunt vagantes dæmonas
Latos tenebris noctium,
Gallo canente exterritos
Sparsim timere, & cedere.

Inuisa nam vicinitas
Lucis, salutis, numinis,
Rupto tenebrarum situ
Noctis fugat satellites.

Hoc esse signum præscii
Norunt repromissæ spei,
Qua nos soporis liberi
Speramus aduentum Dei.

Quæ vis sit huius alitis,
Saluator ostendit Petro,
Ter antè quàm gallus canat,
Sese negandum prædicans.

Fit nanque *peccator prius *Peccatum
Quàm præco lucis proximæ
Illustret humanum genus,
Finemq; peccandi ferat.

Fle.

Fleuit negator denique
 Ex ore prolapsus nefas,
 Cum mens maneret innocens,
 Animusq; seruaret fidem.

Nec tale quicquam postea
 Lingua loquutus lubrica est,
 Cantuq; galli cognito,
 Peccare iustus destitit.

Inde est, quòd omnes credimus,
 Illo quietis tempore,
 Quo gallus exultans canit,
 Christum redisse ex inferis.

Tunc mortis oppressus vigor,
 Tunc lex subacta est Tartari,
 Tunc vis diei fortior
 Noctem coëgit cedere.

Iam iam quiescant improba,
 Iam culpa furua obdormiat,
 Iam noxa lethalis suum
 Perpeffa somnum, marceat.

Vigil vicissim Spiritus
 Quodcunq; restat temporis
 Dum meta noctis clauditur,
 Stans, ac laborans excubet.

IESVM ciamus vocibus,
 Flentes, precantes, *sobrii, *sobrie
 Intenta supplicatio
 Dormire cor mundum vetat.

Sat conuolutis artibus
 Sensum profunda obliuio
 Pressit, grauauit, obruit
 Vanis vagantem somniis.

Sunt nempe falsa, & friuola,
 Quæ mundiali gloria
 Ceu dormientes egimus.
 Vigilemus, hic est veritas,

Au-

AVRELII PRUDENTII

Aurum, voluptas, gaudium,
Opes, honores, prospera,
Quaecunque nos inflant mala
Fit mane, nil sunt omnia.

Tu Christe somnum dissiice,
Tu rumpe noctis vincula,
Tu solue peccatum vetus,
Nouumq; lumen ingere.

A Les diei nuncius) Carmen est dimetrum Iambicum recipiens in locis imparibus iambum, spondeum et interdum anapestum: in locis uero paribus semper iambum. Incipit Prudentij cathemerimon, hoc est, hymnorum per horas diei, atque auspicatur à galli cantu, hoc est, à media nocte, quem Varro gallicinium uocat: nam media nocte inclinante, gallus prope semp canit. hortatur itaq; Hymnographus ut gallo canente omnes surgat ad canendum Christo Deo: petendumque peccatorum condonationem: dicit itaque primò quòd per gallum figurate debemus intelligere Christum: & quemadmodum ille prædicat lucem prope futuram, & tenebrarum noctis magnam partem abcessisse, ita Christus uocat nos ut relictis tenebris peccatorum surgamus ad uitam, iuxta illud Apostoli Pauli Ro. xiiij. Nox præcessit, dies autem appropinquauit, abijcite ergo opera tenebrarum. Ales nuncius diei, id est, gallus qui nunciat diem aduentare. Verg. in Moreto. Excubitorque diem cantu prædixerat ales. Christus, qui per gallum figuratur, Vocat ad uitam, id est ad se, q dixit, Ego sum uia ueritas & uita. & aliubi, Ego sum lux mundi. Auferte clamat lectulos, clamat per gallum excitatorem. Lectulos ægros, id est, in quibus ægroti solent iacere neque possunt inde surgere. Sopores, desideres, scilicet ab effectu, quia nimius somnus desidiam & languorem parit. Iam sum proximus, id est, ego qui sum sol, lax uera quæ illuminat omnem hominem uenientem in hunc mundum, iam appropinquo, iuxta orietur timentibus nomen meum Sol iustitiæ. Post Solis ortu dicit per

ueniendum esse. Neque expectandū quousq; sol oriatur, iuxta illud Anacharsis ad Misonē: Ante diem properas ò Mison munus aratri, Ille refert, properat uiuere nemo satis. Addenda igitur est pars noctis laudibus diuinis. Seruum est spernere cubile, id est, relinquere lectum post ortum solis tardi est & desidiosus: & subaudi culpandi, nisi partem noctis adieceris labori, id est, uigilia: nam quem admodum somnus est quies rerum placidissima, ut dicit Ouid, ita uigilia est labor. Vox ista, non solum galli, sed etiam cæterarum auium quæ sub lucem canunt. Strepunt .i. sonāt, aut ad illud respicit, quòd cum gallus cantaturus est, alas excutiens strepitum facit. Sub ipso culmine, ex Vergil. viij. Aneid. Et matutini uolucrū sub culmine cantus. Figura nostri iudicis .i. figurate per illam uolucrum uocem intelligimus Christū, qui est iudex uiuorū & mortuorum, iuxta illud, Pater omne iudicium dedit filio. Die iam iamq; .i. cito uenturo. Suadet nos mortales Tectos tenebris .i. inuolutos peccatis, & opertos: Stratis segnibus, id est, lectis qui faciunt nos segnes: linquere quietem, id est, somnum, ut supra, labore appellans uigiliam. Aurora sparserit cælum. Vergilius. iij. Aneid. Et iam prima nouo spargebat lumine terras Tithoni croceum linques aurora cubile. Coruscis flatibus, id est, flammis, aut quia sub auroram spirant auræ. Confirmet, id est, præparet scilicet, aurora, hoc est, tempus matutinum. Nos omnes exercitos, id est, exercitatos. Labore, id est, uigilia, ut supra. Ad spem luminis, id est, Christi paulò post orituri ut nos illuminet. Hic somnus, moraliter dicit: per somnum qui est mortis imago, intelligimus animæ mortem, & per tenebras noctis intelligimus peccata, quæ suo torpore cogunt nos somno grauatos iacere & dormire. Sed uox Christi docentis ab alto culmine, unde gallus & aues canunt, ut diximus. Adesse prope, pro accedere. Somni desidia, sub peccato. Ad terminos uitæ, id est, usque ad horam mortis. Socordis, languentis. Sepultum, obrutum. Vergilius. ij. Aneid, Inuadunt urbem somno uinoque se-

AVRELI PRUDENTII

pultam. *Suae lucis, id est, caelestis, unde traxit originem, aut suae lucis, id est, Christi. Ferunt, ea est hominum opinio, atque hodie uulgo id creditur. Sparsim timere, qui prius agminatum incedebat. Quod uidetur simile illi quod Anchises apud Vergilium in. vi. Aeneid. dicit: Et me saevus equis Oriens afflauit anhelis. Inuisa uicinitas, reddit causam cur daemones fugiunt: quia scilicet ciuitas lucis fugat satellites noctis, id est, Christus daemones. Rupto situ, id est, squallore siue torpore noctis: unde Vergilius vi. Aeneid. per loca senta siuu, dixit. Hoc esse signum, scilicet, cum Gallus canit, scimus quod lux nostra prope est. Liberi soporis, id est, sopore liberati. Vis huius alitis, id est, Galli potestas. Fit nanque, sensus & ordo est, Petrus & quilibet homo fit peccator prius quam praeco lucis, id est, Gallus, hoc est, Christus illustret. &c. Fleuit negator scilicet Petrus. Prolapsum ex ore nefas, quia oblitus sui Christum negauit, unde ad cantum Galli respuit & ad se redijt. Nec tale quicquam, sed postea Petrus permansit in fide usque ad mortem. Lubrico lingua, id est, lubricitate, quia nunquam tale uerbum est lapsum ex ore illius. Inde est, quod illo tempore quo Gallus canit, credibile est Christum spoliata morte redisse ad superos. Tempore quietis, id est, somni, ut supra. Vigor mortis, iuxta illud propheta: Ero mars tua o mors. Vis diei, id est, Christus qui dies est. Noctem, id est, diabolum. Iamiam, hortatur occasione temporis, ut cessemus a peccatis, & uigilemus Christo. Improbata quiescant, id est, mala nostra cessent. Et culpa furua, id est, nigra & tenebrosa: quia ut diximus per tenebras peccata intelligimus: unde est illud, Abijciamus opera tenebrarum. Noxa letalis, peccatum quod mortem parit. Perpeffa suum somnum, id est, cessationem a peccatis. Marceat, torpescat & cesset. Vicissim, quia ut somni & uigiliae uicissitudo est: ita esse debet peccatorum & resurrectionis a peccato. Meta noctis clauditur, id est, terminus noctis finitur, hoc est, sub ortam solis, Ciamus, id est, uocemus siue*

moueamus: & declinatur, cio, cis, & cico, cics. Sobrius
 ante cibum. Intenta, attentamam qui remissus est in oran
 do, facile dormitat. Obliuio profunda, quoniam in pro
 fundo somno omnium rerum obliuiscuntur. Pressum, id
 est, uim sentiendi, quia omnia membra in somno torpent.
 Conuolutis artubus, id est, omnibus membris impeditis,
 neque officium suum exercentibus. Sensum dico Vagan
 tem uanis somnijs, id est, solutum ad uana tantum phan
 tasmata. Sunt nempe, comparat bona fortunæ tenebris
 noctis: uera autem bona, hoc est, animi, comparat luci di
 ei: itaque illa agimus quasi in tenebris, hæc autem in lu
 ce. Aurum, uoluptas, omnia hæc bona opinata & falsa
 quæ nos instant in superbiam, adueniente luce euanescent,
 ideo dicit: Fit mane, id est, si lux oriatur. Disiice, id est,
 dissipa. Vergilius primo Æneid. Et dissiice corpora pon
 to. Vincula noctis, id est, peccatorum quibus impliciti su
 mus. Peccatum uetus, quo sumus inueterati. Ingere lumen,
 id est, illustra nos tuo lumine, hoc est gratia & uenia tua,

HYMNVS MATVTINVS.

Carminis ratio eadem est,
 quæ est superioris.

NOX, & tenebræ, & nubila,
 Confusa mundi, & turbida,
 Lux intrat, albescit polus,

Christus venit, discedite.

Caligo terræ scinditur

Percussa Solis spiculo,

Rebusq; iam color redit,

Vultu nitentis syderis.

Sic nostra mox obscuritas,

Fraudisq; pectus conscium,

Ruptis reiectum nubibus,

G.ii,

Regnante

AVRELII PRVDENTII

Regnantē palleſcit Deo.

Tunc non licebit claudere,
 Quod quiſque fufcum cogitat,
 Sed mane clareſcent nouo
 Secreta mentis prodita.

Fur ante lucem ſqualido
 Impunè peccat tempore,
 Sed lux dolis contraria
 Latère furtum non ſinit.

Verſura fraus, & callida,
 Amat tenebris obregi,
 Aptamq; noctem turpibus
 Adulter occultus fouet.

Sol ecce ſurgit igneus,
 Piget, pudescit, pœnitet,
 Nec teſte quiſquam lumine
 Peccare conſtanter poteſt.

Quis mane ſumptis nequiter
 Non erubeſcit poculis,
 Cum fit libido temperans,
 Caſtumq; nugator ſapit?

Nunc nunc ſeuerum viuitur,
 Nunc nemo tentat ludicrum,
 Inepta nunc omnes ſua
 Vultu colorant ſerio.

Hæc hora cunctis vtilis
 Qua quiſque, quod ſtudet, gerat,
 Miles, rogatus, nauita,

*Inſitor. Opifex, arator, *inſitor.

Illum forenſis gloria
 Hunc trifte raptat claſſicum,
 Mercator hinc ac ruſticus
 Auara ſuſpirant lucra.

Ar nos lucelli ac ſœnoris
 Fandiq; prorfus neſcii,
 Nec arte fortes bellica,

Te

Te Christe solum nouimus.

Te mente pura, & simplici,

Te voce, te cantu pio,

Rogare curuato genu

Flendo, & canendo discimus.

His nos lucratur quæstibus,

Hac arte tantum viuimus,

Hæc inchoamus munera

Cum sol resurgens emicat.

Intende nostris sensibus,

Vitamq; totam dispice:

Sunt multa fucis illita,

Quæ luce purgentur tua.

Durare nos tales iube,

Quales remotis sordibus,

Nitere pridem iusseras,

Iordane tinctos flumine.

Quodcunque nox mundi dehinc

Infecit atris nubibus,

Tu *rex Eoi syderis

*lux

Vultu sereno illumina.

Tu Sancte, qui tetram picem

Candore tingis lacteo,

Ebenoq; crysallum facis,

Delicta tergens liuida.

Sub nocte Iacob cærule

Luctator audax angeli

Eousque dum lux surgeret,

Sudauit impar prælio.

Sed cum iubar claresceret,

Lapsante claudus poplite,

Fœmurq; victus debile

Culpæ vigorem perdidit.

Nutabat inguen faucium,

Quæ corporis pars vilior,

Longeq; sub cordis loco,

AVRELII PRYDENTII

Diram fouet libidinem.

Hæ nos docent imagines,
Hominem tenebris obsitum,
Si forte non cedat Deo,
Viros rebelles perdere.

Erit tamen beator
Intemperans membrum cui
Luctando claudum, & rabidum
Dies oborta inuenerit.

Tandem faceſſat cæcitas,
Quæ noſmet in præceps diu
Lapſos ſiniſtris grefſibus,
Errore traxit deuio.

Hæc lux ſerenum conferat,
Puroſq; nos præſtet ſibi,
Nihil loquamur ſubdoſum,
Voluamus obſcurum nihil.

Sic tota decurrat dies,
Ne lingua mendax, nec manus,
Oculi ne peccent lubrici,
Ne noxa corpus inquinet.

Speculator adſtat deſuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actuſq; noſtros proſpicit
A luce prima in veſperum

Hic teſtis, hic eſt arbiter,
Hic intuetur quicquid eſt
Humana quod mens concipit,
Hunc nemo fallit iudicem.

Nox & tenebræ) Hymnus qualis ſuperior, Ales dici
nuncius. Matutinum tempus eſt inter gallicinium & or-
tum ſolis, ex occaſione temporis in quo incipiunt tene-
bræ euaneſcere & lux increbeſcere, multa dicit de tene-
bris, hoc eſt, peccatis, & de luce, id eſt, de Chriſto. dicit
igitur: O nox & tenebræ & nubila mundi confuſa

Et turbida, quia in tenebris omnia confunduntur, sicut
 in luce discernuntur. Lux intrat, subaudi fenestras. Persu-
 sius: iam clarum mane fenestras intrat. Albescit, lucefcit.
 Christus uenit, qui est sol iusticiæ. Caligo terræ, id est,
 tenebræ quæ fiunt sole ab aspectu nostro subtracto ter-
 ra interueniente, quia si terra non esset, nullæ essent tene-
 bræ, quia sol cuncta illustraret. Spiculo solis, ad fabulam
 alludit, quæ in Apollinem sagittas refert propter radios,
 nam spiculum sagitta est. Color redit rebus qui fuerat
 ablatus à tenebris noctis, unde Vergilius: Et rebus nox ab-
 stulit atra colorem. Vultu nitentis syderis, id est, ex præ-
 sentia solis. Sic nostra, sensus est, quod quemadmodum so-
 le omnia illustrantur, sic nostræ tenebræ, hoc est pecca-
 torum sordes à Christo purgentur. Pectus consciuum frau-
 dis, id est, in quo fraudes latent. Rectum, id est, apertum.
 Vergilius, Radijs que retexerit orbem. Pallefcit, pro al-
 bescat, Et alludit ad tempus matutinum quo aurora pal-
 let. Vergil. iij. Aeneid. Tiboni croceum linquens aurora
 cubile. Tunc, cum Christus sol iusticiæ ortus fuerit, qui
 omnia occulta retegat. Fuscum, id est, nigrum, hoc est tur-
 pe. Nouo mane, id est, noua luce, quia deum nihil latet,
 cum sit lux. Vergilius. ij. Georg. Dum mane nouum dum
 gramina canent. Secreta prodita, id est, manifestata. An-
 te lucem, quia qui male agit odit lucem. Squallido tempo-
 re, id est, tenebroso, hoc est inerti Et inculto. Peccat im-
 pune, quia sine arbitris furatur, sed non impune nisi ad
 tempus, quia nihil occultum quod non reueletur. Lux. i. dies.
 Contraria dolis, id est, fallere cupientibus. Fouet noctem,
 id est, amplectitur Et amat, quia ut diximus, qui male
 agit, odit lucem. Sol igneus, ex opinione antiquorum, aut
 ab effectu. Piget, pudescit, pœnitet, quia turpiter facta
 patescunt. Peccare constanter, quia non constabit sibi
 ipsi, sed mutabit uitæ modum. Sumptis poculis, scilicet
 nocte hesternæ: quia pudet nos fuisse ebrios. Cum. i. quo
 tempore. s. matutino. Libido fit temperans, id est, libidi-
 nosus continet à uoluptatibus. Nugator, id est, qui per

AVRELII PRVDENTII

noctem nugas agebat & delibabat. S apit, id est, sapiens est & resipiscit, castum. i. caste & mūde. Nunc. s. tempore matutino. Viuitur seuerum, pro seuerē. Ludicrum. i. nemo ludit. Omnes colorāt uultu serio .i. accomodant uultum grauem & tristem, & dissimulāt suas ineptias. Hæc hora .s. matutina. Est utilis. i. est accōmodata usui & operibus. Gerat quod studet. i. administret suum officiū. Miles, qui uersatur in bello. Togatus, qui exercet artes pacis, unde est illud Cicerōis: Cedāt arma togæ. Insultor, mercatores, qui merces exercent. Illum forensis gloria. s. togatum qui agit causas in foro. Hunc rapit classicum triste, id est, militem: nam classicum est sonus tubæ cū canitur ad pugnam quod tristitiam affert pugnaturis militibus. Hinc. i. a tempore matutino. Suspirāt lucra, quia negociātur ut lucrentur. At nos. s. boni Christiani & religioni dediti. Nesciū lucri & fœnoris, ut mercatores: & nesciū fandi .i. agendi causas in foro. Arte bellica, ut milites. Pura & simplici. i. uni tantum rei intenta. Iuuenal. Tum fœmina simplex. & Horatius, Simplex mundicijs. Dicimus te, id est, laudamus te. Horatius, Prima dicte mihi summa dicende camœna. His quæstibus, id est, lucris, aut quæstibus, ut uult Valla. Hæc munera, id est, officia. Nostri sensibus. i. precibus quas mente concipimus & uoce effundimus. Dispicce, aspice & circumspicce, & tuo fauore prosequere. quia ut inquit Seruius, aspectus Dei semper fauorem affert. Illita fucis, id est, maculata uitijis: legitur & fuscis, id est, inquinata tenebris, & sic magis cohæret sequēs litera, cū dicit, luce purgentur tua: aut respicit ad aliam solis proprietatē, qui nō solum illustrat sed etiam purgat. Durare tales, id est, perseuerare. Quales tinctos flumine Iordane, id est, aqua baptismatis, quæ iam inde à Christi baptis mate fuit cōsecrata: remotis sordibus, quia per baptismum delentur peccata, hoc est, originale & actuale. Nox mundi, id est, peccata quæ per noctem intelligantur. Dehinc, id est, post baptismum. Atris nubibus, quæ subtrahunt lucē. Syderis eoi, id est, lucis matutinæ, illumina, abijciendo te

nebras & inferendo lucem. Tetrampicem, id est, nigro-
 rem peccatorum. Tingis, lauas & in candorem uertis. lu-
 uenalis, quanquam in diuersa sententia: Qui nigrum in candida
 uertunt. Esaiæ primo, Si fuerint peccata uestra ut cocci-
 num quasi nix dealbabuntur. Crystallum, aquam congela-
 tam siue lapidem, quæ alba sunt. Ebano .i. ex ebano, quæ
 materia nigra est. Vergilius primo Georg. India nigrum
 fert ebum. Liuida, nigra, ut sæpe diximus. Sub nocte,
 per exemplum Iacob luctantis cum angelo probat quod
 dixit, quod per tenebras intelligimus peccatum & per lu-
 cem culpæ remissionem: nam quemadmodum legimus Ge-
 ne. cap. xxxij. Iacob rediens ex Mesopotamia, cum uenisset
 ad locum quem ipse uocauit Phanuel, per totam noctem
 luctatus est cum angelo, quod erat quasi deo resistere:
 sed postea sub auroram, hoc est, luce aduentante cessit,
 quia tacto ab angelo coxendicis neruo claudicauit, atque
 ita uictus est. Sub nocte, ordo est. Iacob luctator au-
 dax impar prælio angeli sudauit. Eousque, id est, quoad
 surgeret, quod factum est. Sub nocte cærulea, id est, nigra,
 uel potius ad cæli colorem retulit. Poplite lapsante, id
 est, labenter succiduo. Vergilius. ij. Aneid. Multo lapsan-
 tem sanguine nati traxit. Victus fœmur debile, id est, ab
 angelo debilitatum, & est synechdoche. Perdidit uigo-
 rem culpæ, id est, uires suas quibus angelo resistens pec-
 tabat. Inguen pro coxendice posuit: quæ è regione in-
 guinum est. Nutabat, uacillabat & claudicabat. Pars uir-
 lior corporis. Horatius primo sermonum, Inguen ad ob-
 scœnum subductis usque facetus. Longe sub loco cordis,
 quia inguina & partes genitales distant à corde in quo
 uiget sapientia. Hæ imagines, id est, figuræ. Hominem
 oblitum tenebris, id est, peccatis inuolutum. Vires rebel-
 les, id est, quibus deo resistit. Perdere, quia frustra resistit.
 sed ille est beator cui membrum intemperans & inobe-
 diens. Dies inuenerit claudum & tabidum .i. luxatum &
 conuulsum. Tandem faceffat, hortatur fugiendas esse te-
 nebras, & sequendam esse lucem. Faceffat cæcitas .i. rece-
 dat

AVRELI PRUDENTII

dat : nam *faceffere tum facere tum recedere* fignificat. *Liuius faceffe hinc Tarquinius aut Corinthus*. *Siniftris gressibus, quia uia finiftra in præcipitium trahit, ex fententia literæ Pythagoræ*. *Serenum, animi tranquillitate*. *Puros, fine ulla perturbatione*. *Obscurum, id efl, tenebricosum*. *Oculi lubrici, id efl, libidinosi, & quibus dueibus præcipitamur*. *Speculator, testis & arbiter quem nõ poßumus quicquam celare*. *Quod mens concipit, quia feruans corda & renes*.

HYMNVS ANTE CIBVM.

Carmen Alemanium, trimetrum, hypercatale Ælicum monocolon, pentastrophon, conftans tribus Daëtylis & femipede, id efl, heptimemetri heroica, hoc modo :

- vv - vv - vv v

O Crucifer bone lucifator,
Omniparens pie, verbigena,
Edite corpore virgineo.

Sed prius in genitore potens,
Astra, solum, mare quam fierent.

Huc nitido precor intuitu,

Flecte salutiferam faciem,

Fronte serenus: & inradia,

Nominis vt sub honore tui

Has epulas liceat capere.

Te sine dulce nihil domine,

Nec iuuat ore quid appetere,

Pocula ni prius atque cibos

Christe tuus fauor imbuerit,

Omnia fanctificante fide.

Fercula nostra Deum sapiant,

Christus & influat in pateras

Seria, ludicra, verba, iocos,

Denique quod sumus, aut agimus,

Trina superna regat pietas.

Hic mihi nulla rosæ spolia,

Nullus aromate fragrat odor,

Sed

Sed liquor influit ambrosius,
Nectar eamq; fidem redolet
Fusus ab usque patris gremio.

Sperne Camœna leues ederas,
Cingere tempora quâs solita es.
Sertaq; mystica dactylico
Texere docta liga strophio
Laude dei redimita comas.

Quod generosa potest anima,
Lucis, & ætheris indigena,
Soluere dignius obsequium,
Quàm data munera si recinat
Artificem modulata suum?

Ipse homini quia cuncta dedit,
Quæ capimus dominante manu
Quæ polus, aut humus, aut pelagus
Aère, gurgite, rure creant,
Hæc mihi subdidit, & sibi me.

Callidus inlaqueat volucres
Aut pedicis dolus, aut maculis,
Inlita glutine corticeo
Vimina plumigeram seriem
Impediunt, & abire vetant.

Ecce per æquora fluctuagos
Texta greges sinuosa trahunt.
Piscis item sequitur calamum,
Raptus acumine vulnifico
Credula faucibus ora cibo.

Fundit opes ager ingenuas,
Diues aristiferæ segetis,
Hic vbi vitea pampineo
Brachia palmite luxuriant,
Pacis alumna vbi bacca viret.

Hæc opulentia Christicolis
Seruit, & omnia suppeditat.
Absit enim procul illa fames

AURELII PRUDENTII

Cædibus vt pecudum, libeat
Sanguineas lacerare dapes.

Sint fera gentibus indomitis
Prandia, de nece quadrupedum
Nos oleris coma, nos siliqua
Fæta legumine multimodo
Pauerit innocuis epulis.

Spumea mulctra gerunt niueos
Vbere de gemino latices,
Perq; coagula densa liquor
Insolidum coit, & fragili
Lac tenerum premitur calatho.

Mella recens mihi Cecropia
Nectare sudat olente fauus,
Hæc opifex apis aërio
Rore liquet, tenuiq; thymo,
Nexilis inscia connubii.

Hinc quoque pomiferi nemoris
Munera mitia proueniunt,
Arbor onus tremefacta suum
Deciduo grauis imbre pluit,
Puniceosq; iacit cumulos.

Quæ veterum tuba, quæ ve lyra
Flatibus incita, vel fidibus,
Diuitis omnipotentis opus,
Quæq; fruenda patent homini,
Laudibus æquiparare queat?

Te pater optime manè nouo,
Solis & orbita cum media est,
Te quoque luce sub occidua
Sumere cum monet hora cibum,
Nostra deus canet armonia.

Quod calet halitus interior,
Corde quod abdita vena tremat,
Pulsat & incita quod resonam
Lingua sub ore latens caueam,

Laus

Laus superi patris esto mihi.

Nos igitur tua sancta manus

Cespite composuit madido,

Effigiem meditata suam.

Utq; foret rata materies,

Flauit & indidit ore animam.

Tunc peramœna vietra iubet

Frondicomis habitare locis,

Ver vbi perpetuum redoler,

Prataq; multicolorata latex

Quadrifluo celer amne rigat.

Hæc tibi nunc famulentur ait,

Vsibus omnia dedo tuis,

Sed tamen aspera mortifero

Stipite carpere poma veto,

Qui medio vires in nemore.

Hic draco perfidus indocile

Virginis illicit ingenium,

Vt socium male suada virum

Mandere cogeret ex vetitis,

Ipsa pari peritura modo.

Corpora mutua nosse nefas,

Post epulas inoperta vident

Lubricus error & erubuit:

Tegmina suta parant foliis,

Dedecus vt pudor occuleret.

Conscia culpa deum pauitans

Sede pia procul exigitur.

Innuba fœmina quæ fuerat,

Coniugis excipit imperium,

Fœdera tristia iussa pati.

Autor & ipse doli Coluber

Plectitur improbus, vt mulier

Colla trilingua calce terat,

Sic coluber muliebre solum

Suspicit, atque virum mulier.

His

AVRELII PRUDENTII

His ducibus vitiosa dehinc
 Posteritas ruit in facinus,
 Dumq; rudes imitatur auos,
 Fasq; nefasq; simul glomerans,
 Impia crimina morte luit.

Ecce venit noua progenies,
 Æthere proditus alter homo,
 Non luteus, velut ille prius:
 Sed Deus ipse gerens hominem,
 Corporeisq; carens vitiis.

Fit caro viuuda sermo patris,
 Numine quem rutilante grauis
 Non thalamo, neq; iure tori,
 Nec genialibus inlecebris
 Intemerata puella parit.

Hoc odium vetus illud erat,
 Hoc erat aspidis atq; hominis
 Digladiabile diffidium,
 Quod modo cernua fœmineis
 Vipera proteritur pedibus.

Edere namq; Deum merita
 Omnia virgo venena domat,
 Tractibus anguis inexplicitis
 Virus inerme piger reuomit,
 Gramine concolor in viridi.

Quæ feritas modo nõ trepidat,
 Territa de grege candidulo?
 Impaudas lupus inter oues
 Tristis obambulat, & rabidum
 Sanguinis immemor os cohibet.

Agnus enim vice mirifica
 Ecce leonibus imperitat,
 Exagitansq; truces aquilas
 Per vaga nubila, perq; Notos
 Sydere lapsa columba fugat.

Tu mihi Christe columba potēs,

San

Sanguine pasta cui cedit auis,
 Tu niveus per ouile tuum
 Agnus hiare lupum prohibes.
 Sub iuga tigridis ora premens.

Da locuples Deus hoc famulis
 Rite precantibus, vt tenui
 Membra cibo recreata leuent,
 Neu piger immodicis dapibus
 Viscera * tanta grauet stomachus.

Hauftus amarus abesto procul,
 Nec libeat tetigisse manu
 Exitiale quid, aut veritum,
 Gustus & ipse modum teneat.
 Sospitet vt iecur incolume.

Sit satis anguibus horrificis,
 Liba quod impia corporibus
 Ah miseram peperere necem.
 Sufficiat semel ob facinus
 Plasma dei potuisse mori.

Oris opus, vigor igneolus
 Non moritur, quia flante Deo
 Compositus, superoq; fluens
 De solio patris artificis,
 Vim liquidæ rationis habet,

Viscera mortua quinetiam
 Post obitum reparare datur,
 Etq; suis iterum tumulis
 Prisca renascitur effigies,
 Puluereo coeunte situ.

Credo equidem, neq; vana fides
 Corpora viuere more animæ:
 Nam modo corporeum memini
 De Phlegethonte gradu facili
 Ad superos remeasse Deum.

Spes eadē mea membra manet,
 Quæ redolentia funereo

Iussa

* causa

Iussa quiescere sarcophago.

Dux *parilis rediuius homo

*parili rediui

Ignea Christus ad astra vocat.

uus humo.

O Crucifer bone lucifator) Carmen est monoclon alex-
 manium dactylicum, trimetrum, hypercatalecticum, con-
 stans tribus dactylis & syllaba. Principio inuocat Chris-
 tum ac promde totam trinitatem, hortaturq; seipsum ad
 cibi parsimoniam, & sobriam cœnam, quasi sit ieiunium ec-
 clesie completurus. O crucifer, qui tulisti crucem ad lo-
 cum caluarie ubi passus es, & nunc fers illam quasi ui-
 ctorie insignia. Lucifator, id est, lucis creator. Omnipa-
 rens, id est, omnium rerum pater, quia per filium pater om-
 nia creauit, & ipse per se cum patre & spiritu sancto
 creator est. Verbigena, fuit tempus quo non putabamus
 de Christo posse dici uerbigenam, & reuera si uerbigena
 exponatur uerbum genitum, recte dicitur: sed nos confi-
 milium sequehamur rationem, nam uerbigena ita expo-
 nendū est, uerbo genitus: sicut Martigena Marte genitus,
 Iunonigena Iunone genitus, improprie igitur dixit uerbis-
 gena, sicut infra in hymno natalis Christi dixit: Ex ore
 quamlibet patris sis ortus & uerbo editus: neq; enim est
 partus uerbo, sed est uerbum à patre partum siue edit-
 tum. Edite, generate & parte. Iuuenalis: si bos æderet
 agnum. In genitore, id est, cum genitore. Nitido intuitu,
 id est, sereno uultu. In radia, inspira, sanctifica, subaudi
 nos. Tuus fauor imbuerit, id est, inspirauerit & impleue-
 rit. Fide sanctificāte, id est, nobis omnia per fidem coope-
 rantibus, quæ nos sanctificat tibi. Sapiant deum, id est,
 diuinum habeant saporem, sicut dicimus melimela poma
 quæ sapiunt mel. Influat in pateras, id est, inspiret in ui-
 na, ut uinum quoq; sapiat Christum. Seria, quæ opponun-
 tur iocis. Ludicra, id est, ludos: qui permissi sunt ad cessa-
 tionem & quietem, & denique omnia uerba quæ loquun-
 tur, nam & uirtutem quandam ponit Aristoteles in huius-
 modi rebus in. ij. &. iij. Ethi. Hic mihi, id est, in hoc meo
 pran

prandio siue cœna, non facio quod solent diuites & potentes in conuiujs sumptuosioribus, qui coronati & unguentis delibuti discumbunt. Spolia rose. i. coronæ ex rosis, quæ ad hoc afferuntur ex rosetis. Ex aromate, ex rebus odoratis, sed ambrosius liquor. i. succus diuinus, .i. quod supra dixit, qui Deum sapiant. Est namq; ambrosia quemadmodum poëtæ dicunt, cibus deorum: sicut neclær illoꝝ potus. Fusus. i. descendens ex cœlo. Camœna, ò musa Christiana. sperne hederas, quibus coronaris in describendis poëmatis secularibus: nam hederæ cõsecratæ sunt Baccho poëtarum deo peculiari, sicut laurus Phœbo. Martialis. Quid possunt hederæ Bacchi dare. Sertaq; ordo est, tu ò musa docta texereserta mystica .i. coronas non laureaceas & hederaceas, sed ex sacris literis contexta: tu inquam, Redimita laude Dei. i. ornata & instructa rebus diuinis. Liga caput. i. corona, & cinge caput strophio .i. corona. Vergil. in copia. Et grauidum roseo neclæ caput strophio. alias accipitur pro cingulo. Anima indigena ætheris, quæ habet cœlestem originem. Iuuenalis, sensum à cœlesti demissum traximus arce. Modulata suum artificem .i. laudans Deum canendo. Recinat munera data .i. canet beneficia deo accepta, quæ omnia numerat per genera, & primo uolucres cœli, deinde pisces maris, postea terræ fructus, iuxta illud Genesis primo, Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris & uolatilibus cœli, & bestijs uniuersæ terræ. Ipse homini, quia omnia subiecit pedibus eius, & hominem sibi. Quæ polus. i. uolucres cœli, hoc est aeris. Callidus dolus, quia nisi parentur insidiæ uolueribus, non possumus illas capere, itaque opus est calliditate & dolis. Aut pedicis. i. laqueis quibus à pedibus capiantur. Vergilius primo Georg. Tunc laqueis captare feras & fallere uisco. & ibidem, Tunc gruibus pedicas & retia ponere ceruis. Aut maculis, retibus maculosis: sunt autem maculæ ipsa retis foramina, mallas Hispani uocant. Vimina illita, id est, uirgæ perunctæ, Glutine corticeo, id est, uisco

AVRELI PRUDENTII

quod fit aut ex corticibus quarundā arborū, aut ex uisco
 quod innascitur ex stercore turdorū, de quo Verg. 6. *Æn.*
 Quale solet syluis brumali frigore uiscum
 Fronde uirere noua, quod non sua seminat arbor,
 Et croceo factu teretes circumdare truncos.
 Seriem plumigeram, id est, aues quæ gregatim & ex se-
 rie uolant sicut grues. Vetant abire, id est, capiunt illas.
 Texta sinuosa. i. retia sinus multos habentia, contexta ex
 canabe aut lino. Greges fluctuagos. i. pisces, qui, ut dicit
 Psalmista, perambulant semitas maris. Acumine uulnifi-
 co. i. hamo, qui non potest capere piscem nisi uulnus infe-
 rat. Sequitur calamum. i. harundinem qua trahitur: piscis
 inquam, saucius ora credula cibo. i. quæ nimium credide-
 runt escæ latentis in hamo. Opes ingenuas. i. quas decet ho-
 mines ingenuos esitare. Segetis aristifera. i. frumeti, quæ
 sola habet aristas, puta ordeum, triticum, titha, far, semē.
 Brachia uitea. i. uitium, quæ à similitudine nostrorum bra-
 chiorum brachia dicuntur in arboribus: quæ ex trunco di-
 uiduntur sicut rami ex brachijs, & germina ex ramis. Ver-
 gil. vi. *Ænci.* In medio ramos annosaque brachia pandit
 ulmus opaca ingens. Luxuriant palmitē. i. effunduntur in
 palmitēs, qui sunt quasi rami in uite. Pampineo. i. pampi-
 nis, hoc est, frondibus pleno. Bacca alumna pacis. i. oliua
 quæ est insigne pacis. Vergil. ij. *Georg.* Et placitā paci
 nutritor oliuam. Et Ouid. vi. *Metamorph.* Circuit extre-
 mas oleis pacalibus oras. Suppeditat, subministrat. Ab-
 sit, Christianos non decere esus carniū dicit, ex senten-
 tia Pythagoræ, qui mortalibus esum carniū interdixit.
 Illa fames. i. cibi appetitus. Cadibus pecudum. Vergil. ij.
Georg. Ante impia quàm cæsis gens est epulata iuuen-
 cis Aureus hæc uitam in terris Saturnus agebat. & in sa-
 cris literis legimus ante diluuium non fuisse usum carniū.
 Oleris coma. i. folia herbarum hortensium. Siliqua facta
 .i. plena: sunt autem siliquæ folliculi illi siue uaginæ in qui-
 bus legumina proueniunt. Epulis innocuis. i. quæ nulli no-
 cent animali, imò præstant ne noceatur. Muletra, uasa

illa lactis exceptoria, quæ & mulctralia dicuntur. Vergilius in Bucolicis: Bis uenit ad mulctrâ, bimos alit ubere factus. Idem in. iij. Georg. implebunt mulctralia uacca. Spumea, spumantia cum lac emungitur. Niveos latices, id est, lac. Gemino ubere, puta caprarum & ouium & bonum: nam quæ plurimos procreant factus, plures habent papillas, ut sues. Per coagula densa, effectiue pro condensantia. Liquor, id est, lac liquidum. Coit, id est, solidescit inspissaturque. Lac teneram, id est, non pingue sed subtile serum significat, nam pingue coagulatur in caseum. Calatho fragili, id est, fisco, unde lac exprimitur. Mella recens, ordo est, Fauus qui constat melle & cera. Recens cum primum eximitur ex alueo apum. Sudat mihi, id est, quasi sudorem mittit. Mella cecropia, id est, optima & generosa, qualia sunt ex Hymetto monte Attico: celebratur autem mel Atticum apud omnes autores, maxime apud Galenum. Nectare olente, ad Thymi odorem retulit, de quo Verg. i. Georg. Redolentq; thymo fragrantia mella. Apis opifex .i. mellis operatrix. Liquet hæc, scilicet mella, ex rore cæli & floribus thymi concinnat in liquorem. Nexilis inscia connubij .i. quæ non nectitur alteri eiusdem speciei ut prolem generet: neque enim apis generat more aliarum animantium ex coitu. Vergil. 4. Illum aded placuisse apibus mirabere morem, Geor. Quod nec concubitu indulgent, nec corpora segnes In Vencrem soluunt, aut factus nixibus ædunt: Verùm ipsæ natos folijs & suauibus herbis Ore legunt, ipsæ reges paruosque Quirites Sufficiunt. Hinc quoque .i. ultra superiora quæ diximus ex agro proueniunt poma. Munera mitia .i. poma maturata. Verg. in Bucol. Sunt nobis mitia poma. Arbor tremefacta, concussa, Grauis, id est, onusta pomis. Pluit imbre deciduo, id est, ad modum imbris demittit. Suum onus, id est, suos factus quibus est onusta. Quæ ueterum, sensus est, quod neque Homeri aut Vergilij tuba .i. grandiloquentia, aut boatus tragicus, neque lyra .i. poëtæ lyrici, poterit

AVRELI PRVDENTII

laudibus ex æquare munera quæ accipimus à Deo. Flati-
 bus, refertur ad tubam, & fidibus ad lyram. Opus, id est,
 quæ operatus est hominis causa. Te pater optime, ex hoc
 infert sibi omni tempore agedas esse gratias deo, pro mu-
 neribus acceptis. Mane nouo, ut supra ex autoritate Ver-
 giliij. Sumere cum monet hora cibum, antiqui non consue-
 uerunt sumere cibum ante horam uespernam: temporibus
 saluatoris nostri hora nona diei cœnabāt, sed & in nostra
 religione ieiunantes non sumebant cibos ante horam ue-
 spertimam. Nostra harmonia, nota accentum in antepen-
 ultima. Quod calet, omnia sua dicit autor debere lau-
 dare Deum. Quod halitus interior calet. i. spiritus qui
 attrahit ut refrigeretur cor & in corde calefcit. Et quod
 uena abdita tremat. i. arteria abscondita palpitat. Et in-
 citata pulsatur: unde & arteriarum pulsus dicitur. Et quod
 lingua latens in cauea. i. in oris concauitate: sed caueam
 appellauit, quia aues quæ garrunt, caueis continentur:
 ita & lingua garrula in cauea est. Esto mihi laus. i. to-
 tum expletur in laudem Dei. Nos igitur, igitur hoc in lo-
 co non illatiue sed completiue tenetur. Tua manus com-
 posuit nos. i. plasmauit & finxit. Cespitè madido. i. terra
 humenti, quia terra aliàs non constaret. Ouid. pri. meta.
 Quam. s. terrā, satus Iapeto mistam fluuijalibus undis Fin-
 xit in effigiem moderantum cuncta deorum. Meditata. i.
 exercens & faciens similitudinem suam, non quod Deus
 habuerit tunc effigiem humanam, ut putauit Epicurus. Ut
 materia. i. corpus sic formatū. Foret rata, quia in forma
 cadauer iacebat. Flauit, Genesis cap. ij. Formauit hominē
 de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum ui-
 tæ. Ore, id est, spiritu oris sui, intus dedit animam. Tunc,
 id est, postquam illum creauit. Genesis. ij. Tulit dominus
 deus hominem, & posuit eum in paradiso uoluptatis, ut
 operaretur & custodiret illum. lubet hominem. s. crea-
 tum. Locis frondicomis, id est arborosis: nam frondes tan-
 tum sunt arborū. Ver perpetuū. i. flores qui Veris tempo-
 re proueniunt. Martialis: Cum breue sicaneæ Ver popu-
lana

lantur apes. Redolet, ad flores refertur ille odor. Latex celer, id est aqua celeriter fluens. Rigat prata multicolora, propter florum uarietatem in coloribus. Amne quadrifluo, id est, qui diuiditur in quatuor illa flumina, quæ oriuntur ex paradiso uoluptatis, Phison scilicet, Gion, Tigris, Euphrates. Gene. ij. Et fluuius egrediebatur de loco uoluptatis ad irrigandû paradysum, qui inde diuiditur in quatuor capita. Famulentur ait, id est, seruiant. Gene. ij. Præcepitq; Deus homini dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas. Medio nemore, Gene. ij. Produxit lignum uitæ in medio paradisi & lignum scientiæ boni & mali. Hic, tunc. Illicit, blanditijs attrahit ingeniû. Indocile, aut pro indocto posuit, hoc est, rudi, aut indocile bonarum. s. artium, & uirtutum, quæ in fœmina non reperiuntur, teste Aristotele. Malesuada, id est quæ semper malum suadet. Vergil. vi. Aeneid. Malesuada fames. Corpora, ordo est, Post epulas, id est, postquam comederunt de ligno uetito. Vident corpora inoperta, id est, nuda: mutua, id est, alter alterius, & mutuo, & subaudi quæ corpora erat nefas nosse, quia prius q̄ comederet non uidebant uerenda sua. Lubricus error erubuit, id est postquã sunt præuaricati per errorem erubuerunt. Tegmina, perizomata. Conscia culpa. i. culpæ conscij. Exigitur. i. expellitur. Ex sede propria, non propria quando illam perdidit, sed quæ fuisset propria si non peccasset. Innuba. i. uiro non subiecta, sed socia & omnium particeps: nam nubere est minori cõditione se coniugi suo dare. Martial. Vxori nubere nolo meæ: & sequitur, Inferior matrona suo sit Prisce marito, Non aliter fiunt fœmina uirq; pares. Ouidius quoq; Metam. Tibi nubere nymphea uolentis uotis cede dei. Vides quid est uirum nubere uxori suæ, hoc est esse inferiore & subiectum illi. Igitur innubam dixit Euam, id est, uiro non subditam, unde subdit: coniugis excipit imperium. i. subditur illi, unde mulieri dixit deus, Sub potestate uiri eris & ipse dominabitur tui, Fœdera tristia. i. mulieri iniqua,

AVRELII PRVDENTII

quia fœdera æqualia esse debent utrique parti. Plectitur id est, punitur. Colla trilingua, id est, serpentis, qui uulgo putatur triplices habere linguas. Verg. iij. Geor. Linguis micat ore trisulcis. Calce terat, ad illud respicit quod serpenti dixit, Ipsa conteret caput tuum. Muliebre solum, id est, terrā quam mulier calcet, siue plantā pedis unde solea dicta. Suspicit, i. obseruat & ueneratur: & mulier suspicit uirum: in priori tamen significatione est pro sursum aspicere, ut Vergil. Daphni quid antiquos signorum suspicis ortus. In secundo pro uenerari, ut Plinius Cæcilius in Epistolis: Patrem tuum suspexerim magis an amauerim. His ducibus, id est, autoribus. Glomerans, miscens et inuoluēs. Luit morte .i. pœna mortis. Impia, quæ. s. in Deum commisit. Ecce uenit, prosequitur hominis à morte peccati liberationē. Noua progenies, ad illud Vergilij alludit: tam noua progenies cælo demittitur alto. uel ad illud Iere. 31 Creauit dominus nouū super terram, fœmina circumdabit uirū. Proditus, à procul datus. Alter homo, secundus Adā quem Paulus uocat nouū hominē, ad Ephesios. 5. Induite inquit nouum hominem. Non luteus, uerus homo: sed non propagatus cum traduce peccati primi hominis, ideo dixit carens uitij. Sermo patris, uerbum. Sapientiæ. 18. Dum medium silentium tenerēt omnia, omnipotēs sermo tuus à regalibus sedibus descendit. Numine quam, ordo est, quam carnem puella intemerata parit. Grauis, id est, grauida. Verg. in Bucolicis, Non insueta graues tentabūt pabula fœtas. Numine rutilante .i. spiritu sancto splendente: et respicit ad ignis naturam in qua spiritus sanctus ad discipulos uenit. Non thalamo, id est, matrimonio uirili. Neque illecebris, id est, uoluptatibus: genialibus, id est, coniugalibus. Horatius: Lectus genialis in aula est. nam Genius generationis erat deus. Hoc erat illud odiū uetus, de quo Deus ad serpentem loquitur, inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen illius. Dissidium digladiabile, id est, discordia in qua digladiati sunt homo & diabolus. Vipera cernua, id est, serpens in humum de-

iectus, nam illud significat cernuus, unde illi dixit Deus:
 Super pectus tuum gradieris. Proteritur pedibus, scilicet
 uirginis deipare. Domat uenena .s. serpentis uenenalis.
 Tractibus, ordo est, Anguis concolor in uiridi gramme,
 quia uiridis est, unde Horatius uirides colubros dixit, &
 Vergil. Virides occultant spineta lacertos. Piger, id est, frī-
 gidus. Verg. Frigidus in pratis cantādo rumpitur anguis.
 Aut piger, id est, iam debilitatus, unde dicit, reuomit ui-
 rus in me .s. post Christi incarnationem. Tractibus in-
 expliciis, id est, sinuosis, & in spicas conuolutis. Quæ fer-
 ritas, id est, omnes feræ timent inuadere gregē Christiano-
 rum. De grege candidulo, id est, baptisate mundato: un-
 de & baptizati ueste candida induuntur: & inde Domi-
 nica in albis celebratur, quia ea die cathechumeni bap-
 tizabantur. Immemor sanguinis, quia iam dediscit uesci san-
 guine humano. Vice mirifica, id est, facta uicissitudine
 contra communem naturæ cursum. Imperitat leonibus,
 cum Agnus fit præda leonum. Et columba lapsa sydere,
 id est de cælo descendens, hoc est, Christus, aliàs spiritus
 sanctus, qui in illa specie descendit post Christi bap-
 tismum, exagitans Aquilas truces, & cætera. Auis pasta san-
 guine, hoc est, Aquila, id est, demon, qui solet in morta-
 les grassari. Per lupum quoque & tigridem æquè Dia-
 bolum intelligit. Da locuples, post longam phrasin re-
 dit ad popositum. Leuent membra, id est, membra ha-
 beant non grauata cibo, sed leuia & agilia. Stomachus
 grauet ulcera tota, quasi dicat, satis est ipsum esse ali-
 quatenus cibo grauatum, sed non occupet alia membra.
 Sed proprie stomachus est ipsum uentris os, & sic stat
 melius sententia. Haustus amarus, id est, potus qui in a-
 maritudinem terminatur. Vnde est illud Anacharsis Scy-
 thæ. Tres uua. uitis fert, quarum prima uoluptas, secun-
 da ebrietas, teria mæstitia. Exitialis, id est, mortiferum
 ipsi animæ. Icur incolume, per iecur affectus intel-
 ligit, ex Platonis opinione. Anguibus horrificis, id
 est, demonibus Libamina, quæ ante Christi natalem

AVRELII PRUDENTII

offerebant demonibus. Semel, hoc est, morte naturali, qua
 ut ait Apostolus, statutum est hominibus semel mori, sed
 non morte animæ. Vigor igneolus, id est, anima. Et est
 Vergil. vi. Aeneid. igneus est ollis vigor Et cælestis ori
 go, oppositiue. Oris opus, id est, in quod, ut paulo antè dis
 ximus, inspirauit spiraculum uitæ. Compositus, id est, cita
 tus. De folio patris, hoc etiam ex sententia Aristotelis,
 qui dicit animas non ex traduce corporis sed à deo infun
 di. Liquida rationis, id est, pura Et ab omni contagione
 immunis. Viscera mortua, id est, corpus caducum etiam
 reparabitur in die iudicij. Effigies prisca, id est, prior.
 Innascitur, pro renascitur ut stet uersus. Situ puluerco, id
 est, puluere squalido Et resoluto. Credo equidem nec ua
 na fides, Vergilij est ex quarto Aeneid. Corpora uiue
 re, pro esse uictura, ut supra: renascitur pro renascitur.
 More animæ, id est, sicut anima corpori superstes uiuit,
 Et est Iuuenalis: Vulgi perit omne cadauer more animæ.
 quanquam in diuersa sententia. Nam modo, Argumen
 tum est Pauli Apostoli, ad probandum quod sumus re
 surrecturi, quia Christus primitiæ dormientium resurre
 xit. Deum corporeum, id est, Christum. De phlegethonte,
 id est, ab inferis, quia phlegethon inferorum fluuus est.
 Gradu facili non laborioso, cum cæteris facilis si descen
 sus auerni, ut Vergilius in sexto Aeneid. dicit. Sed reuo
 care gradum superasque euadere ad auras, hoc opus hic
 labor est. Eadem spes, id est, resurgendi à moruis ad su
 peros. Manet mea, id est, expectat, id est, expecto resur
 rectionem mortuorum. Quæ redolentiæ, mor antiquos
 rum, qui odoribus aromaticis condiebant corpora. Sar
 cophago, sepulchro. Christus homo rediuitus, id est, qui
 ex morte redijt ad uitam. Iuuenal. Ac uelut exhausta re
 diuiuus pullulet arca nummus. Dux paris, id est, mi
 hi æqualis in natura humana, Et dux mus uocat mem
 bra Et. Ad astra ignea, secundum Platonem Et anti
 quos, sed ut inquit, Aristoteles in primis de cælo, illa opi
 nio adhuc uigebat suis temporibus.

HYMNVS POST CIBVM.

Metrum monocolon hendecasyllabum Phalctium, constans spondeo, Dactylo, & tribus Trochæis, hoc modo.

-- -VV -V -V -V

P Astis visceribus, ciboq; sumpto,
 Quem lex corporis imbecilla poscit,
 Laudem lingua Deo patri rependar:
 Patri, qui Cherubim sedile sacrum,
 Nec non & Seraphim suum supremo
 Subnixus folio tenet, regitq;
 Hic est, quem Sabaorth deum vocamus,
 Expers principii, carensq; fine,
 Rerum conditor, & repertor orbis.
 Fons vitæ liquida fluens ab arce,
 Infusor fidei, fator pudoris,
 Mortis perdomitor, salutis autor.
 Omnes quòd sumus, aut vigemus, inde est:
 Regnat spiritus ille sempiternus,
 A Christo simul & parente missus.
 Intrat pectora candidus pudica,
 Quæ templi vice consecrata ridet,
 Postquam combiberint deum medullis.
 Sed si quid vitii, dolive nasci
 Inter viscera iam dicata sensit,
 Ceu spurcum, refugit celer facellum.
 Tetrum flagrat enim vapore crasso
 Horror conscius æstuante culpa,
 Offensumq; bonum niger repellit.
 Nec solus pudor, innocensq; vorum
 Templum constituunt perenne Christo
 In cordis medii sinu, ac recessu.
 Sed ne crapula ferueat cauendum est,
 Quæ sedem fidei cibus refertam
 Usque ad congeriem coarctet intus.
 Parcis victibus expedita corda
 Infusum melius Deum receptant,

Hic

Hic pastus animæ est, saporq; verus.

Sed nos tu gemino fouens paratu,
Artus, atque animas vtroque pastu
Confirmas pater, ac vigore comples.

Sic olim tua præcluens potestas,
Inter raucisonos situm leones
Illapsis dapibus virum refouit.

Illum fusile numen execrantem,
Et curuare caput sub expolita
Aëris materia nefas putantem.

Plebs diræ Babylonis, ac tyrannus
Morti subdiderant, feris dicarant,
Sæuis protinus haustibus vorandum.

O semper pietas, fidesq; tuta,
Lambunt indomiti virum leones,
Intactumq; dei tremunt alumnum.

Astant comminus, & iubas reponunt,
Mansuescit rabies, fameq; blanda
Prædam rictibus lambit incruentis.

Sed cum tenderet ad superna palmas,
Expertumq; sibi Deum rogaret,
Clausus iugiter, indigensq; victu,

Iussus nuncius aduolare terris,
Qui pastum famulo daret probato,
Raptim desilit obsequente mundo.

Cernit forte procul dapes inemptas,
Quas messoribus Abbacuc propheta
Agresti bonus exhibebat arte.

Huius cæsarie manu præhensa,
Plenis sicut erat grauem canistris
Suspensum rapit, & vehit per auras.

Tum raptus simul ipse, prandiumq;
Sensim labitur in lacum leonum,
Et quas tunc epulas gerebat, offert.

Sumas lætus ait, libensq; carpas
Quæ summus pater, angelusq; Christi

Mittunt liba tibi sub hoc periclo.

His sumptis, Danielus excitauit
In cælum faciem, ciboq; fortis
Amen reddidit, alleluia dixit.

Sic nos muneribus tuis refecti,
Largitor Deus omnium bonorum
Grates reddimus: & sacramus hymnos.

Tu nos tristifico velut tyranno,
Mundi scilicet impotentis actu
Conclusos, regis, & feram repellis.

Quæ circumfremit, ac vorare tentat,
Insanos acuens furore dentes,
Cum te summe Deus precemur vnum.

Vexamur, premimur, malis rotamur,
Oderunt, lacerant, trahunt, lacesunt,
Iuncta est suppliciiis fides iniquis.

Nec desit tamen anxiiis medela:
Nam languente trucidis leonis ira,
Illapsæ superingeruntur escæ.

Quas si quis sitienter hauriendo
Non gustu tenui, sed ore pleno
Internis velit implicare venis,
Hic sancto satiatus ex propheta,
Iustorum capiet cibos virorum,
Qui fructum domino metunt perenni.

Nil est dulcius ac magis saporum,
Nil quod plus hominem iuuare possit,
Quàm vatis pia præcipientis orsa.

His sumptis licet insolens potestas
Prauum iudicet, irrogetq; mortem.
Impasti licet irruant leones,

Nos semper dominum patrem fatentes,
In te Christe Deus loquemur vnum,
Constanterq; tuam crucem feremus.

P *Asitis uisceribus) Carmē est monocolon, phalœucium,
hendecasyllabum, ac atalecticum, constans spondeo
dacty-*

AVRELII PRVDENTII

dactylo, & tribus trocheis. Continuatur hæc oda ad præcedentem, nam sumpto cibo reliquum est, ut deo gratias agamus. Commendat itaque in primis dei omnipotentiam, cui omnia debemus: deinde dicit nos debere mundatum habere domicilium, hoc est, corpus ab ingluvie & crapula, & animam à peccatis, ut possimus fieri templum spiritus sancti: qui uerus est hominis cibus. Sed pro utroque cibo agendas esse gratias probat Danielis exemplo, ex cuius historia moraliter aliquid infert, quod ad nos pertineat. Visceribus interioribus & exterioribus: nam & de carne Verg. i. Æn. dixit, Tergora diripiunt costis & uiscera nudant. & Lucret. Visceribus uiscus gigni sanguenq; creari. Lex corporis, quod nisi reficiatur cibo, durare non potest. Patri, agendas esse gratias ait primum patri, deinde filio, tum spiritui sancto. Patri, subaudi inquam. Qui subnixus, id est, sedens, solio supremo, id est, sede qua nulla est superior: quia Dei duo sunt propria, Maximus, propter eminentiam, & Optimus propter beneficentiam. Tenet & regit suum sedile sacrum, cui innititur: & per sedile intelligimus rerum omnium providentiam & arbitrium potestatemque, quale est illud, super solium David sedebit, & regni eius non erit finis. Cherubin & Seraphin, in numero plurali, nam Cherub & Seraph sunt singularis. Et possunt esse casus accusatiui per appositionem, ad cubile sacrum, quasi uelit dicere, quod Cherubin & Seraphin sunt Dei sedile, quibus tanquam sedi innititur: possunt esse & genitini, quia sedile illud ex Cherubin & Seraphin constat. Deum Sabaoth, id est, exercituum, & scribitur per sama non per z, ut Aldus Manucius castigauit: nam zeta aliud sonat quam sama. Expers, id est, infinitus & æternus, quia caret principio & fine. Rerum conditor, creatio rerum ad totam trinitatem pertinet, sed attribuitur patri quasi principi creationis, unde est in symbolo, Patrem omnipotentem creatorem cæli & terræ. Repertor orbis, quia orbem ut sic dixerim, reperit. Sic Verg. Æn. Hominum rerumq; repertor, dixit.

Fons vitæ, ad filium hoc pertinet, ex quo per redemptionem vita nostra pendet. Fluens ab arce liquida, id est, emanans à patris celsitudine per æternam generationem. Infusor fidci. i. qui nobis quid esset credendum faciendumque ad salutem reuelauit, & infudit prædicauitque. Sator pudoris. i. castitatis et integritatis. Vitæ autor, quòd sumus, per creationem: quod uigemus, per baptismatis regenerationem. Inde, subaudi à Christo. Regnat, scilicet cum patre & filio. Missus, aut exponendum est missus pro inspiratus à patre & filio, aut pertinet ad missionem personarum, quoniam pater mittit filium, & non contrà, mittit spiritum sanctum & non contrà, filius mittit spiritum sanctum & non contrà. Missus itaque fuit spiritus sanctus à patre & filio, aut in nomine filij, super centum & uiginti illos qui erant in cœnaculo illo in die Pentecostes. Mittitur & quotidie in eos qui sunt digni, unde subdit, Intrat pectora candidus pudica. Candidus, aut ad columbæ candorẽ retulit, in cuius specie super baptizatum Christum descēdit, aut candidus. i. candorẽ in se habens, & nobis eundẽ communicans. Quæ pectora ridet. i. ornata sunt, per metaphorã, quia quæ ornata sunt, ridere uidentur. Vice templi. i. ad similitudinẽ templi ornati, in quo deus peculiariter habitare creditur. Sed si quid. i. si spiritus sanctus qui templũ nostrũ mundatũ intrat & habitat, si sensit in nobis aliquod uitium inuari quod templũ coinquinet, fugit. Viscera dicata. i. consecrata & digna in quibus habitaret: ita fugit quasi à templo foetido & peccatis commaculato. Horror conscius. i. peccatũ, quod facit horrorẽ ex turpitudine sua & peccator ipse cõscijs sibi. Culpa æstuante. i. nõ permitte peccatorẽ quiescere: quia uermis ille nõ potest mori. Iuuen. Exemplo quodcunq; malo committitur, ipsi displicet auctori, & illud eiusdem, Tacita sudant præcordia culpa. Niger. s. ille horror immundus. Repellit bonum offensum. i. spiritum sanctum quem offendit sua illuue & spurcitia. Nec solus pudor, nõ satis est inquit esse hominẽ castum, pudicum, & innocentẽ ad hoc ut sit templum dei, sed

sed debet esse sobrius & à cibi nimietate temperas. Templum perenne, id est, continuum & non intercisum. In sinu ac recessu cordis, nam cor tres habet sinus, unde Persius: Ut mihi te quantum sinuoso in pectore fixi. sed hic sinum posuit pro interiori recessu, igitur exponendū, in sinu medij cordis, id est, medio sinu cordis. Ferueat ad naturam vini retulit, Persius: Indomitum quod despumare falernū. Sedem fidei, id est, cor, in quo fides habitat, Paulus ad Roma. cap. x. Corde creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem. Coarctet, angustet & constringat. Usque ad congeriem. i. epularum repletionē. Corda expe dita. i. nō impedita & occupata. Eum infusum, i. Christum receptum. Hic pastus uerus, qui dixit Ioann. vi. Caro mea uere est cibus, & sanguis meus uere est potus. Sed nos, tu inquit, ò Christe reficis nos epulis, quæ non solum corpus sed & animū reficiunt. Fouens. i. recreans, Paratu gemino. i. cibi apparatu ad utrunque ualentī. s. ad membra & ad animum. Confirmas pater, si pater ad Christū referatur, nomen honoris est, alioqui per adoptionem fratres illius sumus: uel ad deum patrem apostrophat, uel ad totam trinitatem. Sic olim affert exemplū ex historia Danieli, quæ scribitur in ipsius lib. cap. xiiij. qui positus in lacu leonum pastus est utroq; cibo ab Abacue propheta aduecto per angelum. Sic. s. pascendo corpus & animum. Præcluens potestas. i. pollens, ut exposuimus in Psychomachia, Qui patris uirtute cluis. Raucifonos leones. i. rauco sono quodam rugientes. Refouit uirum. i. recreauit Danielum. Dapibus illapsis, id est, de cælo descendentibus. Illum fusile, ordo est, Plebs et tyrannus. i. Cyrus rex sub quo hæc gesta sunt, Subdiderant illum morti. i. obiecerant. Execrantē numen fusile. i. statuam Beli ex ære fusili fabrefactā. Et putantē nefas curuare caput. i. adorare numen Beli. sub expolita materia æris. i. quia Belus erat ex ærea materia. Astant cōmunis. i. quasi ministri apparent Danieli. Iubas reponunt, quas irati solent arrigere. Rabies ingenita leonibus & tunc maxime eum ex fame laborarent. Verg. Aenid.

Quos improba uentris exegit cecos rabies. Et rabies illa
 uescendi, Lambit prædã. i. Danielũ, q̄ futurus erat leoni-
 bus esca. Fame blanda. i. non rabiosa sed placida. Clausus
 iugiter, p̄ dies septẽ: nam tandiu fuit in lacu leonum: indi-
 gens uictus. i. alimenti. Nuncius, q̄ græcè dicitur angelus:
 Iussus. s. à deo: terris. i. in terras. Verg. i. An. Et Libycis
 defixit lumina terris. Obsequente mundo .i. caelo, per qđ
 angelus uolans delapsus est: obtemperãter cedete ipsi an-
 gelo descendenti. Dapes inemptas. i. quas Abbacuc non
 emerat ex primis ex foro pecunijs, sed domesticas. Arte
 agresti: erant aut dapes illæ pulmentũ & panes, ut refert
 historia: in quibus cibus concinnandis non erat opus arte
 aliqua. Cæsarie huius. s. Abbacuc. Præhẽsa manu, subaudi
 angeli: nam capillo capitis angelus illum portauit Baby-
 lonem. Sensim. i. non præcipitãter. Angelus Christi, pro-
 lepsis est, nondũ enim uerbũ erat Christus, q̄ dicit utraq;
 naturã, diuinã et humanã. Liba tibi, gustui tuo. Danie-
 lus, ex forma quã diximus alijs in locis, Excitauit, crexit.
 Ciboque fortis, refocillatus & refectus. Amen reddidit,
 .i. geminauit: Alleluia dixit, id est, Dei laudes. Sic nos, ad
 propositũ redit. Sic quemadmodũ Danielus fecit, q̄ sum-
 pto cibo Deo gratias egit. Tu nos, Danieli historiam mo-
 raliter exponit, uel potius parabolice, dicens quod quem-
 admodum Danielus carcere leonũ iclusus pastus fuit ab
 Abbacuc propheta, & liberatus tandem ab ira leonũ, ita
 & nos liberati à potestate dæmonum, pascemur cibo ce-
 lesti, &c. Tu subaudi Deus. Regis nos, cõclusos actũ mun-
 di. i. actiõibus mundanis. Impotentis. i. nimium potentis
 & seuiantis in nos: nam impotens latinis sic accipitur. un-
 de & tyranni impotentes dicuntur: et impotentiam tyran-
 norum dicimus, cum p̄ potentiam aliqd seuietia exercet.
 Repellis ferã, hoc est, diabolu à nobis. Quæ circumfrenit
 iuxta illud Apostoli. i. Petri 5. Aduersarius uester dia-
 bolus tanq̄ leo rugies circuit, quærens quẽ deuoret. Tunc
 scilicet cum sic claudimur. Vexamur, premimur. i. si quan-
 do sumus in huiusmodi angustia illata à carne, à mundo

AVRELII PRVDENTII

diabolo, qui sunt publicè hostes nostri. Fides est iuncta, pro sit adhibita, ut sit præsens pro futuro imperatiui siue optatiui, uel pro erit. Iniquis supplicijs, id est, iniquorum qui nos sic uexant & premunt. Ne desit, pro non deficiet præsens pro futuro, ut supra. Vergil. Lac mihi non aestate nouum non frigore desit. pro deficit. Languenta ira, id est, debilitata uirtute diuina. Escæ illapsæ desuper, id est ex cælo aduenientes. Ingeruntur, pro ingerentur nobis. Quas scilicet escas cælestes, si quis hauriendo sitienter, id est, non cum fastidio, & quasi qui degustat, sed pleno ore deuorauerit: Hic satiatus ex sancto Propheta, sicut Danielus ab Abbacuc. Virorum iustorum, qualis fuit Abbacuc. Qui metunt domino, hoc ad illud pertinet quod Abbacuc cibos illos quos detulit ad Danielum, messoribus parabat, ut ibidem legitur: hi sunt messores de quibus Apostolus, Qui parè seminat parè & metit. & psalmographus, Venientes uenièt cum exultatione portantes manipulos suos. Pia orsa, id est, uerba diuina quæ nobis deus per prophetas denunciat, quibus nihil dulcius ex cogitari potest, dicète propheta, Quàm dulcia faueib. meis eloquia tua super mel ori meo. His sumptis, scilicet cibus hoc est diuinis præceptis. Potestas insolens, id est, arrogans & superba, nam insolens illud significat, unde est insolentia, superbia. Iudicet prauum. pro prauè, nomen pro aduerbio, figura nota. Irroget, id est, intenet & minetur. Leones impasti, quales erant quibus obiectus est Danielus. Feremus tuam crucem, id est, in hac confessione si oportuerit moriemur: & alludit ad illud, si quis uult uenire post me, abneget semetipsum & tollat crucem suam & sequatur me.

HYMNVS AD INCENSVM

CEREI PASCHALIS.

Carmen mono colon Choriambicum Asclepiadeum, Tetrametrum Acatalecticū, constans spondeo, duobus Choriambis, Pyrrhichio uel Iambo, hoc modo:

-- -VV- -VV- VV

Inuentor

Inuentor rutili Dux bone luminis,
 Qui certis vicibus tempora diuidis,
 Merso Sole chaos ingruit horridum,
 Lucem Christe tuis redde fidelibus.

Quauius innumero sydere regiam,
 Lunariq; polum lampade pinxeris,
 Incussu filicis lumina nos tamen
 Monstras saxigeno semine quaerere.

Hoc signas opere Conditor inclyte,
 Lumen veridicum mentibus omnium
 In Christo Domino quaerere iugiter,
 Quem petram loquitur Doctor egregius.

Ne nesciret homo spem sibi luminis
 In Christi solido corpore conditam,
 Qui dici stabilem se voluit petram,
 Nostris igniculis vnde genus venit:

*Pinguis quos olei rore madentibus *Pinguis
 Lychnis, aut facibus pascimus aridis,
 Quin & fila fauis scirpea floreis
 Presso melle prius collita fingimus.

Viuax flamma viget, seu caua testula
 Succum linteolo suggerit ebrio,
 Seu pinus piceam fert alimoniam,
 Seu ceram teretem stuppa calens bibit.

Nectar de liquido vertice feruidum
 Guttatim lachrymis stillat *alentibus, *olentibus
 Ambustum quoniam vis facit ignea
 Imbrem de madido flere cacumine.

Splendent ergo tuis muneribus pater
 Flammis mobilibus scilicet atria,
 Absentemq; diem lux agit æmula,
 Quam nox cum lacero victa fugit peplo.

Sed quis non rapidi luminis arduam,
 Manantemq; Deo cernat originem?
 Moses nempe Deum spinifero in rubo
 Vidit conspicuo lumine flammeum.

AVRELII PRVDENTII

Fœlix qui meruit sentibus in sacris
 Cœlestis solii visere Principem,
 *Iussus nexa pedum vincula soluere, *Hostis
 Ne sanctum inuolucris pollueret locum.

Hunc ignem populus sanguinis inelyti
 Maiorum meritis tutus, & impotens,
 Suetus sub dominis viuere barbaris,
 Iam liber sequitur longa per auia:

Quâ gressum tulerant, castraq; cerulæ
 Noctis per medium concita mouerant,
 Plebem peruigilem fulgure præuio
 Ducebat radius Sole micantior.

Sed Rex Niliaci littoris, inuido
 Feruens felle, iubet præualidam manum
 In bellum rapidis ire cohortibus,
 Ferratasq; acies clangere classicum.

Sumunt arma viri, scq; minacibus
 Accingunt gladiis, triste canit tuba,
 Hic fidit iaculis, ille volantia
 Præfigit calamis spicula Gnosiiis.

Densatur cuneis turba pedestribus,
 Currus pars, & equos, & volucres rotas
 Conscendunt celeres, signaq; bellica
 Prætendunt tumidis clara draconibus,

Hinc iam seruitii nescia pristini
 Gens Pelusiæcæ vsta vaporibus,
 Tandem purpurei gurgitis hospita
 Rubris littoribus fessa refederat.

Hostis dirus adest cum duce perfido,
 Infert & validis prælia viribus.
 Moses porro suos in mare præcipit
 Constans intrepidus tendere gressibus.

Præbent rupta locum stagna viantibus,
 Riparum in faciem peruia, fistitur
 Circumstans vitreis vnda liquoribus,
 Dum plebs sub bifido permeat æquore.

Pubes

Pubes quinetiam decolor asperis
 Irritata odiis, rege sub impio,
 Hebræum sitiens fundere sanguinem,
 Audet se pelago credere concauo.

Ibant præcipiti turbine percita
 Fluctus per medios agmina regia.
 Sed confusa de hinc vnda reuoluitur
 In semet reuolans gurgite confluo.

Currus tunc, & equos, telatq; naufraga,
 Ipsos & proceres, & vaga corpora
 Nigrorum videas nare satellitum,
 Arcis iusticiam triste tyrannicæ.

Quæ tandem poterit lingua retexere,
 Laudes Christe tuas? qui domitam Pharon
 Plagis multimodis cedere præsul
 Cogis iusticiæ, vindice dextera.

Qui pontum rapidis æstibus inuium
 Perfultare vetas, vt refluo in salo
 Securus pateat te duce transitus,
 Et mox vnda rapax vt voret impios.

Cui ieiuna *viæ saxa †madentibus *cremi
 Exundant scatebris, & latices novos †loquacib.
 Fundit scissa flix, quæ sitientibus
 Dat potum populis axe sub igneo.

Instar fellis aqua tristifico in lacu
 Fit ligni venia mel velut Atticum.
 Lignum est, quo sapiunt aspera dulcius,
 Nam præfixa cruci spes hominum viget.

Implet castra cibus tunc quoq; ninguidus,
 Illabens gelida grandine densius,
 His mensas epulis, hac dape construunt,
 Quam dat sydereo Christus ab æthere.

Nec non imbrifero ventus anhelitu
 Crassa nube leues inuehit alites,
 Quæ difflata in humum cum semel agmina
 Fluxerunt, reduci non reuolant fuga.

AURELII PRUDENTII

Hæc olim patribus præmia contulit
 Insignis pietas numinis vnici,
 Cuius subsidio nos quoq; vescimur,
 Pascentes dapibus pectora mysticis.

Fessos ille vocat per freta sæculi,
 Discissis populum turbinibus regens.

*Iacta *Raptatasq; animas mille laboribus
 rascq; Iustorum in patriam scandere præcipit.

Illic purpureis tecta rosarii
 Omnis fragrat humus, calthæq; pinguia
 Et molles violas, & tenues crocos
 Fundit fonticulis vnda fugacibus.

Illic & gracili balsama surculo
 Desudata fluunt, raræq; cinnama
 Spirant, & folium, fonte quod abdito
 Prælabens fluuius portat in exitum.

Fœlices animæ prata per herbida
 Concentu parili suaue sonantibus
 Hymnorum modulis dulce canunt melos,
 Calcant & pedibus lilia candidis.

Sunt & spiritibus sæpe nocentibus
 Pœnarum celebres sub Styge feræ,
 Illa nocte sacer qua rediit Deus
 Stagnis ad superos ex Acheronticis.

Non sicut tenebras de face fulgida
 Surgens Oceano Lucifer imbuat,
 Sed terris Domini de cruce tristibus
 Maior Sole nouum restituens diem.

Marcent suppliciis Tartara mitibus,
 Exultatq; sui carceris ocio

*Functo
 rum *Vmbrarum populus, liber ab ignibus,
 Nec feruent solito flumina sulphure.

Nos festis trahimus per pia gaudia
 Noctem conciliis, votaq; prospera
 Certatim vigili congerimus prece,
 Extractoq; agimus liba sacrario,

Pendent mobilibus lumina funibus,
 Quæ suffixa micant per laquearia,
 Et de languidulis fota natatibus
 Lucem perspicio flamma iacit vitro.

Credas stelligeram desuper aream
 Ornatam geminis stare Trionibus,
 Et quæ Phosphoreum Temo regit iugum
 Passim purpureos spargier Hesperos.

O res digna Deus, quam tibi roscidæ
 Noctis principio grex tuus offerat,
 Lucem, qua tribuis, nil preciosius,
 Lucem, qua reliqua præmia cernimus.

Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus,
 Intus tu speculum, tu speculum foris,
 Lumen, quod famulans offero, suscipe,
 Tinctum pacifici chrisimatis vnguine.

Per Christum genitum summe pater tuum,
 In quo visibilis fit tibi gloria,
 Qui noster Dominus, qui tuus vnicus
 Spirat de patrio corde Paraclitum.

Per quem splendor, honos, laus, sapientia,
 Maiestas, bonitas, & pietas tua
 Regnum continuat numine triplici,
 Texens perpetuis sæcula sæculis.

I Nuentor rutili) Carmen est monocolon asclepiadeū,
 constans spondeo, duobus choriambis, & pyrrhichio.
 Hic hymnus in principio noctis cum lumina accenduntur,
 cantari debet: uel potius & peculiariter in sabbato san-
 cto uesperis, cum lumina noua incenduntur, aut incendi de-
 berent: nam officium illud uespertinum anticipatur ho-
 die, & quod deberet fieri sub lumina prima, præcipitur
 fieri hora nona, & nihilominus hodie fit hora decima,
 quod est incongruum toti officio in quo noctis fit mētio.
 In hoc igitur carmine multa de ignis laudibus atque pro-
 inde luminis dicuntur: deinde adfert exēpla ex testamen-
 to ueteri, quod Moses Deū in rubo ardenti uidit, quodq̄

AVRELII PRVDENTII

ignis columna Hebræos per desertum ductauit. & eat.
 Inuentor, creator luminis, de quo hic agendum est, & lu-
 minis quo mortales illustras, certis uicibus. i. uicissatim, ut
 nunc dies nunc nox sit. Chaos horridū, tenebræ & caligo.
 Redde lucem, utranque, & hanc qua in die uidemus, &
 lucem qua à nobis ignorantia tenebras pellat. Quauis
 inquit, feceris stellas, & luminaire minus quàm præfesset no-
 eti, tamen ostendisti hominibus aliā uiam noctis illustran-
 di. s. ex igne excusso ictu silicis. Regiam, domū cœlestem.
 Incussu silicis. Vergil. i. Aneid. Ac primum silicis scintil-
 lam excudit Achates. Ex semine saxigeno. i. ex principio
 quod habet à saxo ignis. Hoc signans, quod significat nos
 debere quærere ueram lucem à Christo, qui est lapis quē
 reprobauerunt ædificantes: & petra, de qua. i. Corin. x.
 Apostolus scribit, Petra autē erat Christus. stabilem pe-
 tram, de qua Luca. vi. Posuit domus fundamentum supra
 petram. Nostris igniculis, id est, animis nostris, de quibus
 dixit Verg. vi. An. Igneus est ollis uigor & cœlestis ori-
 go, aut reuera ignes quibus utimur in nocte. Quod si prior
 sententia placet, quod sequitur, Pinguis quos olei, quos
 exponendum est non minus, sed ignes per quos animi
 nostri designantur. Igitur quos scilicet ignes, Pascimus fo-
 uemus Lychnis, myxis ex lino, Madentibus, intinctis oleo.
 Aut facibus aridis, ex lignis fissis. Vergil. in Buc. Mopse
 nouas incide faces: nam illæ propriè dicuntur faces, quæ
 cum sunt aridæ, lucem clarā effundunt: cum uirides, fumo
 immixtam. Ouid. Fax quoq; quā tenuit lachrymoso stridu
 la fumo. Quin etiam fingimus, figuramus in cereos. Fila
 scirpea. i. papyros, ex quibus (ut scribit Plinius) fiebant
 lychni ad usus lucernarū. Collita. i. peruncta & inuoluta,
 à lino, is, litum. Fauis floreis. i. quos apes conficiunt ex flo-
 ribus: sed non illita totis fauis, sed cera tantum: ideo di-
 cit, presso prius melle. Viuax flamma, tres modos tetigit
 pascendi ignem, primus ex oleo & lychnis: secundus ex
 facibus lignorum: tertius ex lychnis papyraceis & cera.
 Nunc duos illorū repetit, & tertium addit de primo. Igi-
 tur

tur dicit, uiuax flamma uiget. Seu testula caua, i. lucerna
 fictilis in qua oleum continetur, nam testa uas fictile est.
 Verg. i. Geor. Testa cū ardente uiderent scintillare oleū.
 Suggestit succum, i. subministrat oleum. Linteolo, i. lychno
 siue myxo ex lino. Ebrio, id est, madefacto olco. Alimo-
 niam piceam, i. tadas pineas, quæ prebent igni fomité &
 alimentum. Stuppa, i. lychnus ex stupa. Ceram teretem, i.
 formatā in terete figurā, hoc est, cereum, de quo supra di-
 xit. Nectar, i. cera liquefacta ab igne cerei, quā nectar uo-
 cauit: quia cum melle ab apibus ex rore cœlesti concinnata
 est: unde Verg. Et dulci distendunt nectare cellas. Ferui-
 dum, concalcactū. De uertice liquido, i. claro & lucenti
 igne Verg. in Buc. Et liquidi simul ignis. Stillat guttatim,
 defluit in guttas. Lachrymis, id est, quæ guttæ sunt quasi
 lachrymæ quæ alunt ignem: uel potius, quæ cū debuerint
 alere, defluerunt uel caloris non ualentis totum quod lique-
 fecit resolvere. Ideo dicit, quod uis ignea facit imbrē im-
 bustum, id est, ceram in circuitu liquefactā. Flere, persissit
 in translatione, quia lachrymarū fecit mentionē, & posuit
 flere pro fluere. Tuis muneribus, tuo beneficio. Flammas
 mobilibus, aut ad radiorum naturam retulit, quoniam ui-
 brantur: aut quoniam lychni pendentes et lucernæ & cerci
 huc & illuc agitantur, ut infra, pendent mobilibus lumina
 funibus. Lux amula, id est, diei imitatrix. Agit diem ab-
 sentem, id est, per noctem representat diem: nam age-
 re aliquando est representare. Inuenalis, Vxorem co-
 mædus agit. Quam nox fugit, quia luci contraria. Vieta,
 lucernarum splendore. Pello lacero, id est, palla qua te-
 gitur nox luce intercisa & quodammodo lacerata. Ver-
 gil. pri. Aeneid. Peplumque ferebant suppliciter tristes.
 Sed quis, ignem præcipuam quandam habere cognatio-
 nem & originem à deo dicit. Rapidi luminis, id est, lucen-
 tis intense, sicut Vergil. i. Geor. dixit, Rapidi uel poten-
 tia solis. Deo, id est, in deo. Moses nō Moyses dixit. Flam-
 meum, quasi igni flagrantem. Sacris sentibus, i. in spinis
 rubi, quas sacras dixit, quia in illis uidit Deum. Vincula

AVRELII PRUDENTII

pedum nexa, id est, quibus calcei erant ligati. Exodi. iij. Solue, inquit dominus, calciamentum de pedibus tuis, locus enim in quo stas terra sancta est. Inuolucris. i. laqueis Guinculis calceorum. Pollueret locum, quonia calcei ex morticinio constant: unde etiam in sacris magicis Vergil. libro. iij. Aen. dixit: Vnum exuta pedem, uestis in uincta recincta. Hunc ignem, aliud ponit exemplū ad confirmandam ignis dignitatem. Populus inelyti sanguinis, id est, ab Abraham, quem deus elegit ex tanta hominum multitudine, originem ducens. Meritis maiorum, non suis, sed patrum suorum. Et impotens, pro ualde potens: nam in particula, in compositione aliquando auget, non qua ratione supra dixit: Mundi scilicet impotentis actio. nam qui malum agit, impotens dicitur: nisi forte & hic, impotentem Hebræorum populum uocat, quasi in malum esset pronus. Barbaris. i. Aegyptijs, ut in Psalmo: Dominus Iacob de populo barbaro. Per longā auia, id est, per desertum. Mouerant castra, euntes in deserto, per quadraginta mansiones illas, de quibus in Exodo, cap. xv. & infra: & in libro Numerorum, cap. xxxij. Cæruleæ noctis, ad cæli colorem retulit, ut supra. Radius Sole micantior, columna ignis, quæ illos in deserto per noctem ductabat: quemadmodum nubes per diem. Et incidenter deinde narrat, quomodo deus Mose duce liberauit populum ex Aegyptiorum dominatione. Niliaci littoris, id est, Aegypti, quam Nilus rigat. Felle inuido, quia in felle est inuidiæ sedes. Ouid. ij. Metam. de inuidia, Pectora felle uirent. Clangere classicum, utrunq; tubarum est. Verg. Insequitur clamorq; uirum clangorq;ue tubarum. & classicum, sonus ipse tubarum dicitur. Tuba canit triste. i. bellicum quendam sonum. Præfigit spicula. i. ferreos aculeos: calamis Gnosfis. i. Cretensis: nam illi sunt optimi ad sagittarum usum. Verg. lib. v. Aen. Gnosfia bina dabo leuato lucida ferro spicula. & in Buc. Libet Partho torquere Cydonia cornu spicula. nam Gnosfos & Cydo urbes Cretæ sunt. Tumidis draconibus, nam in uexillis illa erant forte Aegyptiorum insignia.

signia.

signa, uel potius Romanorū signa fuerāt dracones, apud quos draconarij dicti sunt antesignani. Gens Hebræorum scilicet, Nescia pristini seruitij, id est, iam liberata à seruitute, Vsta uaporibus Pelusiaticis, id est, Aegyptiacis. Nam Pelusium Aegypti est urbs, iuxta quam Hebræi fuerunt in seruitute. Hospita maris purpurei, id est, castrametans iuxta mare rubrum. Hostis dirus, pro hostes diri, ut Verg. ij. Aene. Vterumque armato milite complent. Stagna rupta, id est, mare in partes diuiso, littoribus tantum distantibus quantum sufficeret populo trañciendo. Vnda circumstans, id est, ab utraq; parte. Vitreis liquoribus, id est, perlucentibus aquis in uitri modum, sistitur, id est, stat, & nō fluit. Pubes decolor, id est Aegyptij nigri: nam fusci sunt ad maris nostri oram: interiora uerò Aegypti Aethiopia iunguntur. Concauo pelago, quod Hebræi transierūt. Percita. i. incitata ad modum turbinis. Vnda confusa, id est, ab utraque parte confluentis in medium concaunm. Reuoluitur in semet. i. contra se inuicem. Nigrorum satellitum. s. regis, qui (ut diximus) nigri sunt. Triste iusticium, appositue. i. ex qua strage Aegyptiorum indicendum erat iusticium, quod fiebat in magna aliqua reipublicæ calamitate. est autem iusticium cum ob eam causam nō redditur ius, hoc est, tacetur. Lucanus in. ij. Ferale per urbem iusticium & c. Iuuenal. Si magna Astyrii cecidit domus, horrida mater, Pullati proceres, differt uadimonia prætor. Triste autem dixit ab effectu, ut Verg. Triste lupus stabulis. Retexere. Hymnographus: Quæ uox, quæ poterit lingua retexere, quæ tu martyribus munera præparas? id est, componere in modum textentis, nam hoc in loco pro iterum accipitur, aliàs uerti. uerbi significationem in contrarium, ut Ouidius. Domitam Pharon, id est Aegyptum, & posuit partem pro toto: nam Pharos contra Alexandriam Aegypti posita est. Præsuli iusticia, id est, iusto tuo iudicio: quī præsides, nam pater omne iudicium filio tradidit. Inuium, ex natura sua. Rapidis aestibus, id est, maris inundationibus cum feruore quodam. Vergilius. i. Aeneid.

AVRELII PRUDENTII

Aeneid. Furit aestus harenis. & Lucanus in primo: Fe-
 thios uniuage lunaribus aestuat horis. Vetas persultare,
 id est, influere in uiae inanitatem, & hoc contra maris na-
 turam. In salo resuo, id est, quod aliàs ex natura sua re-
 suum est. Cui ieiuna, duo miracula tangit à deo facta, de
 quibus in Exodo cap. decimoquinto & decimosextimo:
 sed à Prudentio prae posterè narrantur: nam primo secun-
 dum, id est, secundo in loco primum exponit. Cui, id est,
 ad cuius gloriam siue potentiam, saxa ieiuna, id est, arida
 & sine succo, hoc factum in petra Oreb, quam uirga perein-
 tiens Moses erumpente aqua populum satiauit, de quo
 Exodi cap. xvij. Scatebris loquacibus, id est, aquae ebulli-
 tionibus sonoris, quaeque uidebantur loqui: sunt autem sca-
 tebrae ebullitiones aquarum, siue alterius liquoris, aut al-
 terius rei erumpentis. Verg. i. Georg. Ecce supercilio cli-
 uosi tramitis undam Elicit, illa cadens raucum per leuia
 murmur saxa ciet, scatebrisque areni temperat arua.
 Scissa silex, ut Vergil. in Bucol. Ah silice in nuda connixa
 reliquit. aliàs generis est masculini. sub axe igneo, id est
 sub caelo calido, quia Arabia pars illa ubi Hebraei pere-
 grinabantur, ualde meridionalis est. Instar fellis. Hoc
 narratur in Exodo cap. xv. Venerunt (inquit) Hebraei in
 mare, neque poterant bibere aquas de mari, eò quòd essent
 amarae: & sequitur, ostendit deus Mosi lignum, quod cum
 misisset in aquas, in dulcedinem uersae sunt. Lacu tristifi-
 co, id est, amaro, nam triste pro amaro posuit Verg. in. i.
 Georg. cum dixit: Tristesque lupini. & in. ij. Media fert
 tristes succos tardumque saporem. Venia ligni, id est, be-
 neficio. Verg. i. Aeneid. Orantes ueniam, & templum cla-
 more petebant. Mel Atticum, quod (ut supra diximus)
 generosissimum est. Lignum est dulcius, pro dulce. Quo
 aspera, id est, amara: sapiunt, id est, dulcescunt. Designa-
 bat autem lignum illud crucem domini, per quam omnes
 nostrae amaritudines erant dulcorandae: unde Hymnogra-
 phus cecinit: Dulce lignum, dulces clauos, dulce pondus
 sustinet, sed suspicor eo in loco mendam esse, legendumque:

signū dulce clauī dulce pōdus sustinet, ut nersus stare possit. Præfixa cruci .i. omnis spes nostra posita est in cruce, quæ per lignum (ut dixi) illud significatur. Implet castra, duo quoq; miracula narrat præposterè, quæ scribuntur in Exodo cap. xvi. hoc est, manna quod pluit, & coturnices quæ ceciderunt in castris Hebræorum. Cibus ninguīdus. i. in modū niuis candicans & cadens: erat enim quasi semen coriandri album. illabens, cadens. Construunt Hebræi, instruunt: Christus, tunc deus, nūc deus & homo, cibans nos angelorū pane. Necnon uetus inuehit alites. i. coturnices. Anhelitu imbrifero. i. spiritu ferente illas quasi imbrem. Nube crassa. i. in morē nubis crassæ. Quæ agmina, coturnicum. Conflata in humū. i. flatu proiecta. Fuga reduce. i. à periculo illas liberāte: alias reduces, à periculo liberati passiuè, sic Vergil. Reduces socios, & reduces agnos, primo Aneid. dixit. Pietas numinis unici. i. unius dei, nō multi, ut apud Ethnicos habebantur. Mysticis dapibus. i. figuratis in lege ueteri. Fessos ille, qđ narratur in Exodo de populi Israelitici ex Aegypto liberatione, & reductione in terram Canaan: per deserta, hoc est, in terram lacte & melle fluentem: designat quòd deus uocat nos per labores ad paradisum uoluptatis. dicit igitur: Ille scilicet Deus unicus, Regēs populū. s. Christianū sibi peculiarem, Dississis turbibus. i. dissipatis, omnib; quæ possunt nos perturbare, Vocat nos fessos, ex hac uia qua peregrinamur fatigatos, Per freta seculi, ut Hebræos uocabat per mare rubrum. Et præcipit, animas iactatas mille laboribus, ut Hebræos per deserta huc & illuc uagantes, Scandere in patriam iustorum, ut Hebræos in terram promissionis, quò illos uocabat. Illic, id est, in patria, quò nos uocat, quam metaphoricè describit, quasi paradisum, hoc est hortum uoluptatis. Fragrat, odorem spirat. Vnda ex fonticulis fugacibus, id est, fluentibus per terræ superficiem, atque illam rigantibus, Fundit, id est, perfundit & rigat. Caltha pinguis, id est, flores eximios, quia calthæ genere fœminimo potius dicuntur. Vergilius

AVRELII PRVDENTII

*in Bucol. Mollia luteola pingit uacinia caltha. & Colum.
 Flauentia lumina calthæ. nam flos ille pallens est. Et molles uiolas, cum Verg. dixit molles: nam ille mollia uacinia scribit. Balsama desudata, quæ quasi ex sudore desuunt, excipiunturq; spirant. i. suauem odorem emittunt. Iuuen. Spirantesq; crocos & in urna perpetuum uer. Et folium, quod sic proprie dicitur: unde unguenta foliata, de quibus Iuuen. Mæchis foliata parantur. Fonte quod abdito, uult significare folium ex paradiso uoluptatis originem habere ex fonte, unde oriuntur quatuor illa flumina. Portat in exitam. i. ostium quo exit in mare. Concentu parili. Atqui Vergil. dixit: Est mihi disparibus septem compacta cicutis Fistula. Sed cum per se uoces sint dispares, in consonantia sunt pares. Sunt & spiritibus, quod apud inferos aliquando sunt ferie, hoc est, festa in quibus iudicia non exercentur, sicut legimus apud Ouid. lib. x. Meta. & apud Vergil. m. iij. Georg. Cum Orpheus descendit ad inferos petiturus à Dijs infernis Eurydicen uxorem suam, ut poætæ fabulantur. Nunc itaq; dicit autor idem contigisse, quo tempore saluator noster descendit ad inferos, ut inde educeret sanctorum animas. Ferie celebres, quæ celebrantur apud illos, non exercendo pœnas solitas. Sub Styge, palude infernali. Dijs cuius iurare timent & fallere numen, ut dicit Verg. æn. 6. Illa nocte, subaudi, tales ferie fuerunt. Ex stagnis Acheronticis, id est, ab inferis ubi est Acheron fluuius. Nam quemadmodum in argumento huius odes diximus, illa nocte qua Christus redijt ab inferis, hic hymnus peculiariter canitur: in quo fuit consuetudo apud antiquos, per domos lumina complura disponere, ex omni materia quæ potest præbere alimentum igni. Illa nocte, suspenditur sententia usque ad illum uersum Nec feruent solito flumina sulphure. Surgens scilicet Deus homo. Imbuit tenebras, id est, implet inferos. De face fulgida, id est, suo splendore, non sicut Lucifer imbuit tenebras: quæ lux illa Luciferi breuis est atque maligna. Sed maior sol. i. maiorem lucem præ se ferens quàm sol. Restituens diem
sci*

scilicet fugatis tenebris. Marcent, lauguescunt. Umbrarum
 populus. i. animarum, quae erant apud inferos. Solito sulphure,
 phlegethontem signat qui igneus est, nam phlox, gos,
 est ignis quo miserorum animae purgantur. Verg. vi. Aen.
 Infestum elicitur scelus, aut exurit igni. Et Iuuenalis: si
 qua darentur sulphura cum tædis. Nos Christiani repræ-
 sentantes lucem illam qua Christus noctem illam illumi-
 nauit. Trahimus noctem. i. uigilamus. Concilijs festis. i. ce-
 lebribus. Per pia gaudia. i. religiosa & spiritualia. Conge-
 rimus uota. i. concipimus uota. Et agimus liba. i. offerimus
 munera. Extracto sacrario. i. composito ubi talia dona re-
 ponuntur. Mobilibus funibus. i. qui huc et illuc agitantur,
 ut supra flammis mobilibus dixit. Quae suffixa pendent.
 Verg. pri. Aeneid. Dependent lychni laquearibus aureis.
 Fota natatibus, quia in lucerna flamma illa natat super
 oleum, quod est fomes & alimentum ignis. Vitro perspicuo,
 i. translucenti. Credas, comparat lumina ex laquearibus
 dependentia caelo stellato. Credas, id est, credere possis.
 Aream stelligeram. i. caelum stellatum, quod in pellis mo-
 dum est expansum. Stare desuper, id est, in tecto splende-
 re. Vergil. Stant lumina flammæ. Geminis Trionibus, quia
 duæ sunt Arcti. s. maior & minor. Verg. i. Georg. Perque
 duas in morem fluminis Arctos. Et credas, Hesperos pur-
 pureos. i. luciferos pulchros: nam eadem stella est lucifer
 et hesperus, eademque Veneris stella dicitur. Spargier, pro
 spargi in caelo, ea parte, qua temo regit iugum Phospho-
 reum, id est, in parte septentrionali, ubi est Phosphorus,
 siue Thracius, siue Cimmerius. Nam uterque subiectus est
 Arcturo siue Bootæ & plastro. O res digna Deo, or-
 do est, Lucem pro lux, sic Verg. Urbem quam statuo uestra
 est: pro urbs. Principio noctis roscidæ, à rore qui per no-
 ctem spargitur et per diem euanescit. Reliqua præmia. s.
 tua & à te nobis data. Tu lux, quasi offerat lucernam olei
 hoc dicit. Lux oculis exterius, lux sensibus interius. Susci-
 pe lumē, lucernam hanc. Tinctum unguine. i. pingui oleo:
 sed cum sit unguen omne pingue quo ungi possumus: ut

Perz

AVRELII PRVDENTII

*Perfius: Fœnisecæ crasso uitiarunt unguine pulter. addit,
 Chrysmatis pacifici. i. olci quod ex oliua concinnatur, quæ
 insigne pacis est, ut supra diximus. Per te, clausula est in
 omnibus petitionib. Christianorum consueta. suscipe (in-
 quam) ò summe pater, in quo stat gloria uisibilis, cum sis
 tu inuisibilis. Qui noster dominus, per redemptione pecus-
 liariter dominus, ut in Symbolo confitemur unicū dominū
 nostrum. Spirat paracletum de patrio corde, quasi dicat,
 quod ipse spirat & pater spirat. Per quem scilicet unigeni-
 tum, nam pater per filium omnia agit. Continuat regnū
 .i. regnat & uiuit. Numine triplici. i. personarum trinitate.
 Texens. i. continuans. Sæcula sæculis. i. non duratione
 aliqua finita, nam sæculum est spacium centum annorū:
 sed cum dicimus sæcula, orum, aternitatem intelligimus.*

HYMNVS ANTE SOMNVM.

*Dimetrum Iambicnm Anacreonticum Catalecticum Mo-
 nocolum Tetrastraphum, constans tribus pedibus & se-
 mipede. Primo enim loco habet Iambum uel Spondeum
 promiscue, secundo Iambum, tertio Iambum uel Spon-
 deum, hoc modo:*

v - v - v - v

-- v - -- v

A Des pater supreme,
 Quem nemo vidit vnquam;
 Patrisq; sermo Christe,

Et spiritus benigne.

O trinitatis huius

Vis vna, lumen vnum,

Deus ex Deo perennis,

Deus ex utroq; missus.

Fluxit labor diei,

Redit quietis hora,

Blandus sopor vicissim

Fessos relaxat artus.

Mens æstuans procellis,

Christi

Curisq; fauciata,
Totis bibit medullis
Obliuiale poculum.

Serpit per omne corpus
Lethæa vis, nec vllum
Miseris doloris ægri
Patitur manere sensum.

Lex hæc data est caducis
Deo iubente membris,
Vt temperet laborem
Medicabilis voluptas.

Sed dum pererrat omnes
Quies amica venas,
Pectusq; feriatum
Placat rigante somno.

Liber vacat per auras
Rapido vigore sensus,
Variasq; per figuras
Quæ sunt operata cernit.

Quia mens soluta curis
Cui est origo cœlum,
Purusq; fons ab æthra
Iners iacere nescit.

Imitata multiformes
Facies, sibi ipsa fingit
Per quas repentè currens
Tenui fruatur actu.

Sed sensa somniantum
Dispar fatigat horror,
Nunc splendor intererrat,
Qui dat futura nosse.

Plerunque dissipatis
Mendax imago veris,
Animos pauore mœstos
Ambage fallit atra.

Quem rara culpa morum
Non

AVRELI PRVDENTII

Non polluit frequenter,
Hunc lux serena vibrans
Res edocet latentes.

Atqui coinquinatum
Vitiis cor impiauit,
Lusus pauore multo
Species videt tremendas.

Hoc Patriarcha noster
Sub carceris catena
Geminis simul ministris
Interpres adprobauit.

Quorum reuersus vnus
Dat poculum tyranno,
Ast alterum rapaces
Fixum vorant volucres.

Ipsam deinde regem
Perplexam somniantem,
*Nouit famem futuram
Clauis cauere aceruis.

Mox Præful ac Tetrarches
Regnum per omne iussus
Sociam tenere virgam,
Dominæ resedit aulæ.

O quàm profunda iustis
Arcana per soporem
Aperit tuenda Christus?
Quàm clara, quàm tacenda?

Euangelista summi
Fidissimus Magistri,
Signata quæ latebant
Nebulis videt remotis,

Ipsam tonantis agnum
De cæde purpurantem,
Qui conscium futuri
Librum resignat vnus.

Huius manum potentem

*Monuit

Gla

Gladius perarmat anceps,
Et fulgurans vtrinque
Duplicem minatur ictum.

Quæsit or ille solus
Animæq; corporisq;
Ensisq; bis timendus
Prima, ac secunda mors est,
Idem tamen benignus

Vltor, retundit iram:
Paucosq; non piorum
Paritur perire æuum.

Huic inclytus perenne
Tribuit pater tribunal,
Hunc obtinere iussit

Nomen, super omne nomen,
Hic præpotens cruenti
Extinctor Antichristi,

Qui de furente monstro
Pulchrum refert trophæum,
Quam bestiam capacem,

Populosq; vorantem,
Quam sanguinis charybdim,
Ioannes execratur.

Hæc nempe, quæ sacratum
Præferre nomen ausa,
Imam petit gehennam,

Christo perempta vero.
Tali sopore iustus
Mentem relaxat heros,

Vt spiritu sagaci
Cælum peragret omne.
Nos nil meremur horum,

Quos creber implet error,
Concreta quos malarum
Vitiat cupido rerum.

Sat est quiete dulci

K Fcfa

Fessum fouere corpus,

Sat si nihil finistrum

Vanæ minentur vmbrae.

Cultor Dei memento,

Te fontis & lauacri

Rorem subisse sanctum,

Te chrismate *innotatum. *inno-

Fac cum vocante somno uatum

Castum petis cubile,

Frontem, locumq; cordis

Crucis figura signet.

Crux pellit omne crimen,

Fugiunt crucem tenebrae,

Tali dicata signo

Mens fluctuare nescit.

Procul o procul vagantum

Portenta somniorum,

Procul esto peruicaci

Præstigiator astu.

O tortuose serpens,

Qui mille per Mæandros

Fraudesq; flexuosas

Agitas quieta corda.

Discede, Christus hic est,

Hic Christus est, liquefce:

Signum, quod ipse nosti,

Damnat tuam cateruam.

Corpus licet fatiscens

Iaceat recline paulum,

Christum tamen sub ipso

Meditabimur sopore.

A Des pater supreme.) Carmen monocolon, dime-
trum, Iambicum, catalecticum: constat tribus pe-
dibus & syllaba, cui si altera adderetur, esset dimetrum
integrum. Hymnus hic canitur siue canendus esset antea
quam iremus cubitum. Inuocataque imprimis trinitate,

multa

multa de somno narrat : qui cum datus sit homini à Deo immortali ad reparandas corporis & animi vires , multa in eo contingunt partim honesta , & partim turpia : dicitque debere nos lecto tradere signatos cruce, ut aduersarius noster diabolus non suggerat nobis aut uigilantibus aut dormientibus uanas imagines & c. Pater supreme , à quo est omnis paternitas in caelo & in terra . ad Ephesios. cap. iij. Quem nemo uidit unquam. Ioann. cap. i. Christe sermo patris, id est, uerbum. Sapient, xviii. Dum medium silentium tenerent omnia, omnipotens sermo tuus à regalibus sedibus descendit . Spiritus benigne, proprie de spiritu sancto, benignus quasi bonus ignis propter amorem. Vis una huius trinitatis, de spiritu sancto loquitur. Nam & filius brachium Dei figurate dicitur, ut Esaiæ cap. ij. Brachium Domini cui reuelatum est ? & Spiritus sanctus Dei appellatus digitus , ut Luc. cap. xi. Si in digito Dei eijcio daemonia. Et tamen omnium trium personarum eadem est uis & potestas, lumen unum: quia quamuis filius sit lumen de lumine, ut in symbolo canimus, et ad Hebræos cap. i. Qui cum sit splendor patris & figura substantiæ eius, & Spiritus sanctus sit ignis, hoc est, amor ab utroque inspiratus: omnium tamen trium unum est lumen. Deus ex Deo , de filio uel spiritu sancto potest dici potius, quia subditur: Deus ex utroque missus, id est, inspiratus. Labor diei, quia per diem uigilamus, cum uigilia sit labor etiam si nihil agamus, quemadmodum è diuerso somnus sit quies. Vicissim, quia nunc laboramus, nunc quiescimus . Mens æstuans, id est, per diem negotiis perturbata & diffusa. Poculum obliuiale, id est, somnum perfusum succo letheo, id est, qui obliuionem omnium rerum affert secum, unde subdit: Vis lethea, id est, Lethes, fluuius inferorum, de quo Verg. in vi. Lethæum ad fluuium deus euocat. & ibidem, Lethæi ad fluminis undas securos latices, & longa obliuia potant. Serpit per omne corpus. Verg. i. Aene. Tempus erat, quo prima quies mortalibus agris incipit, & dono Diuum gratissima serpit . Lex hæc, quoniam

AVRELII PRUDENTII

Dei munere hoc datum est mortalibus. Membris caducis,
 labore defatigatis. Voluptas medicabilis, id est, uoluptuo-
 sa medicina laboris. Quies amica, somnus. Omnes uenas,
 id est, omnia interiora. Placat, mulcet. Pectus feriatum,
 id est, ociosum & nihil agens, qui per ferias nihil ope-
 ramur. Rigante somno. Verg. i. Aen. At Venus Ascanio
 placidam per membra quietem Irrigat. Sensus, id est, ani-
 mi acrimonia, quæ homine dormiente uigilat: unde Canti-
 corum. 5. Ego dormio & cor meum uigilat. Per figuras,
 id est, per phantasmata: quæ sunt rerum quas uigilantes
 sensimus, imagines. Quæ sunt operta, id est, alioqui occul-
 ta. Purus fons ab æthra, idem alijs uerbis dicit. Est autem
 æthra æthra splendor. Verg. iij. Aeneid. Et lucidus æthra
 syderea polus. Fingit sibi facies, id est, phantasmata. Actus
 tenui, id est, subtili quadam contemplatione. Sed sensa,
 In dimidio uitæ bonos à malis nihil differre scribit Ari-
 stoteles in primo Ethic. hoc est, in somno: nisi quantum
 meliora sunt uisa proborum hominum quàm quorumcun-
 que. Id nunc dicit Prudentius, quòd dispar horror, id est,
 insomnium quod homines terret somniantes: Sensa, pro
 sensus animi interiores: splendor intererreat, id est, lu-
 men quoddam occurrit ipsi animo: Qui dat nosse futura,
 unde ex somno uisis imaginibus, multi prædicunt futura:
 qualia fuerunt quæ de Ioseph & Danicelo legimus. Ple-
 runque dissipatis, hoc & Aristoteles dicit, quòd ebrjjs
 & crudis phantasmata perturbantur, et illorum insomnia
 nihil habent ueritatis. Mendax imago, id est, phantasma
 nihil significans. Animos mæstos, timentes sibi aliquod
 inde infortunium. Atræ ambage, id est, obscura ænigma-
 te, quod non possunt interpretari: cum nihil, ut diximus,
 significant. Quem rara, id est, qui raro peccat. Nam si di-
 xerimus quòd peccatum non habemus, nosmetipsos fal-
 limus: quoniam uitij nemo sine nascitur. Vibrans hunc,
 id est, irradians & illuminans: sic infra e contrario gla-
 dius fulgurans pro uibrans. Impiauit, impium & immun-
 dum fecit. sicut expiare est mundare sacrificio. Species,
 imagi:

imagines. Hoc patriarcha, exemplo Ioseph probat quod
 dixit ex Gene. capit. xl. ordo est, Ioseph noster patriar-
 cha, subaudi positus sub catena carceris, Interpret, id est,
 somniorum coniector: approbavit hoc, id est, uerum es-
 se probauit. Geminis ministris, id est, pincernæ & pisto-
 ri regis: Quorum unus, scilicet, pincerna: alterum, sci-
 licet, pistorem. Somniant perplexa, ex capit. xli. Quod
 somnium Pharaonis nemo poterat interpretari: sed Io-
 seph illud explicauit. Nouit cauere, id est, arcere. Clau-
 sis aceruis, scilicet frumenti. Præsul, à rege non solum an-
 nonæ, sed & cæteris rebus præfectus, ita ut post regem
 esset primus: dixit enim illi Pharaõ, uno tantum regni so-
 lio præcedente, & quæ sequuntur. Tetrarches, unus de
 quatuor regibus dicitur, ut Herodes Tetrarcha, Herodis
 superioris filius, quia parti quartæ regni erat præfectus:
 sed hic tantum pro regni particeps posuit, ut Horat. pri-
 Ser. Modo reges atque Tetrarchas. Resedit aulæ domi-
 næ, id est, præcedit in aula domini omnium rerum Aegy-
 ptiarum. Tuenda, id est, intuenda & uidenda: Quam ta-
 cenda, ut de Paulo, qui uidit secreta quæ non licet homi-
 ni loqui. Euangelista, scilicet Ioannes, qui per angelum
 uidit ea quæ in Apocalypsi narrantur. Vidit autem non
 oculis sed mente, neque in somnis sed uigilans, quanquam
 sedulius uidetur inuere, quod in somnis uidit Ioannes
 omnia illa quæ scribit. Hieronymus autem in prologo
 Apocalypsios, ubi tria uisionum genera ponit, hanc Ioan-
 nis reuelationem, in qua reuelante angelo, uel potius Spi-
 ritu sancto, non tantum figuras spiritu uidit, sed etiam si-
 gnata mente intellexit. Remotis nebulis, id est, sine ullo
 impedimento ad contemplandum. Quæ latebant signata
 in libro, scilicet de quo Apoc. cap. 5. Et uidi (inquit) li-
 brum scriptum intus & foris signatum sigillis septem.
 Ipsum tonantis agnum, id est, dei patris filium, qui est a-
 gnus tollens peccatū mundi. Purpurantem de cæde, de quo
 subdit Euangelista, Et uidi (inquit) agnum stantem tanquã
 occisum, habentem cornua septem & oculos septem. Qui

AVRELII PRVDENTII

resignat. i. aperit. Vergil. in. iij. Aeneid. Et lumina morte
 resignat. Nam sic intelligendū, quòd dat somnos. i. mortē,
 Et adimit dans uitam, Et resignat. i. aperit ex morte. Con
 scium futuri, in quo uētura scripta erant. Gladius anceps,
 de quo in Apoc. cap. xix. De ore eius procedit gladius ex
 utraq; parte acutus, ut in ipso percutiat gētes. Fulgurās,
 pro uibrans: sicut suprā econtrario posuit, Lux serena ui
 brans, pro fulgurans. Quæstor, pro criminum quæstor, ut
 apud Verg. lib. vi. An. Quæstor Minos urnam mouet ille
 silentium. Et hoc, quia pater omne iudicium dedit filio, Bis
 timēdus. i. anceps, hoc est, ab utraq; parte scindens. Prima
 Et secunda, hoc est, Et naturalis per peccatum uenit, de
 qua Apoc. cap. xx. Infernus Et mors missi sunt in stagnū
 ignis, hæc est mors secunda. Vltor, criminum uindex, tamē
 benignus, quia misericordia Et ueritas obuiauerūt simul,
 iustitia Et pax osculatæ sunt. Retundit, reprimit: neq; tan
 tum in nos scēuit quantum peccauimus: paucos, qui, sci
 licet sunt immedicabiles. Tribunal perenne, quia illi data
 est omnis potestas in cælo Et in terra. Matth. ulti. Et qđ
 paulò antè dixi, Pater omne iudicium dedit filio. Nomen
 super omne nomen, ad Philipp. cap. ij. Propter quod Et
 Deus exaltauit illum, Et dedit illi nomen quod est super
 omne nomen. Et c. Extinctor Antichristi, quem interfe
 cit Iesus spiritu oris sui, de quo Paulus, Et Ioannes multa
 in Apocalypsi. Christo uero: quia Antichristus non est
 Christus uerus, unde ab anti, quod est contra, Et Christus
 dictus est, quasi contra Christum se gerens, Tali sopore,
 qualis fuit ille Ioseph, ut hic Ioannes. Iustus heros, id est,
 uir semi deus, ut dicit Aristot. vij. Ethic. Si ex homini
 bus fiunt dij propter uirtutem: talem heroicam intelli
 gimus. Relaxat mentem, id est, soluit partem illam qua in
 telligimus Et meminimus, ut contempletur diuina. Ut
 peragret cælum, quia (ut dicit Cicero in prim. Thuscū.)
 nulla est tanta uelocitas, quæ possit cum animi ueloci
 tate comparari: Et illud Thaletis, Velocissima mens, o
 mnia cum penetret, sed heroes possunt hoc. Nos, sci
 li

licet qui non sumus tales, Creber error, id est, qui sumus multis perturbationibus inuoluti. Nam quanquam animo sit coelestis origo (ut dicit Vergil. in. vi. Aeneid.) in tantum uiget in quantum non noxia corpora tardant, Terrenique hebetant artus, moribundaque membra: Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque. &c. Cupido concreta. Vergil. ibidem. Nec funditus (inquit) omnes corpore excedunt pestes, penitusque necesse est, Multa diu concreta modis dinoscere miris. Sat est. sensus est, satis est nobis per quietem reficere uires deperditas, & si non mereamur diuinam reuelationem: saltem non occurrant nobis insomniæ quæ nos deludant. Cultor Dei, id est, ò Christiane, subiisse rorem, id est, fuisse baptizatum, & chrismate unctum. Tenebræ fugiunt, id est, demones, quos Paulus uocat potestates tenebrarum. Procul esto præstigiator, id est, diabolus, qui per præstigias deludit homines maxime in somnis. Tortuose serpens, id est, sinuose, quoniam serpentes ita mouentur sinuando se. Vergil. ij. Aeneid. Sinuantque immensa uolumina terga. Idem in. 5. Qualis sæpe uia deprehensus in aggere serpens Ne quicquam longos fugiens dat corpore tortus. Per Mæandros mille, id est, per multiplices flexus & dolos: est autem Mæandrus Cariæ fluiuius, qui propterea quod per plana labitur multos facit flexus, unde & res in se reuolutæ & perplexæ, Mæandri dicuntur. Vergil. v. Aeneid. Purpura Mæandro duplici Melibæa cucurrit. Hic, Christus lux est, cum tu sis tenebræ, quæ non possunt simul esse cum luce. Liquesce, id est, tabesce siue languesce, ut nil possis contra me. signum scilicet crucis, Damnat tuam cateruam, id est, te atque angelos tuos. Corpus fatiscens, id est, defessum, nam fessus ab eo quod est fatisco derivatur. Iaceat recline, id est, reclinatum in lecto. Paulo, id est, ad breue tempus. Meditabimur Christum, non actu: quandoquidem dormimus: sed habitu & entelechia. Iuxta illud quod supra diximus, Ego dormio & cor meum uigilat.

AVRELII PRVDENTII

HVMNVS IEIVNANTIVM.

Carmen Monocolon Iambicum Senarium, acatalectum, locis imparibus habens spondeum, Anapestum, Iambum, Tribachum. Paribus uero Iambum, & nonnunquam Anapestum. Eius specimen, si uoles, licebit mutuari ex primo hymno: Senex fidelis.

O Nazarene dux Bethlem, verbum patris,
 Quem partus alui virginalis protulit,
 Adesto castis Christe parsimoniis,
 Festumq; nostrum rex serenus aspice, *accipe
 Ieiuniorum dum litamus victimam.

Nihil hoc profecto purius mysterio,
 Quo fibra cordis expiatur *liuidi, *viuidi
 Intemperata quo domantur viscera
 Aruina putrem ne resudans crapulam
 Obstrangulatae mentis ingenium premat.

Hinc subiugatur luxus, & turpis gula,
 Vini atque somni degener socordia,
 Libido sordens, inuerecundus lepos,
 Variæq; pestes languidorum sensuum,
 Parcæ subactæ disciplinam sentiunt.

Nam si licenter diffluens potu, & cibo,
 Iniuna rite membra non coërceas,
 Sequitur, frequenti marcida oblectamine,
 Scintilla mentis ut tepescat nobilis,
 Animusq; pigris stertat ut præcordiis.

Frenentur ergo corporum cupidines,
 Deterfa ut intus emicet prudentia,
 Sic excitato perspicax acumine,
 Liberq; flatu laxiore spiritus
 Rerum parentem rectius precabitur.

Helias tali creuit obseruantia
 Vetus sacerdos, ruris hospes aridi,
 Fragore ab omni quem remotum & segregem
 Spreuisse tradunt criminum frequentiam,
 Casto fruentem Syrtium silentio.

Sed

Sed mox in auras igneis iugalibus,
 Curruq; raptus euolauit præpeti,
 Ne de propinquo sordium contagio
 Dirus quietum mundus afflaret virum,
 Olim probatis inclytum ieiuniis.

Non ante cœli principem septemplex
 Moses tremendi fidus interpres throni
 Potuit videre, quam decem recursibus
 Quater volutis Sol peragrans sydera
 Omni carentem cerneret substantia.

Victus *precantis solus in lachrymis fuit,
 Nam flendo pernox, irrigatum puluerem
 Humi madentis ore pressit cernuo,
 Donec loquentis voce perstrictus Dei,
 Expauit ignem non ferendum visibus.

*precanti
 solis

Ioannes huius artis haud minus potens,
 Dei perennis præcucurrit filium,
 Curuos viarum qui retorsit tramites,
 Et flexuosa corrigens dispendia,
 Dedit sequendam calle recto lineam.

Hanc obsequelam præparabat nuncius
 Mox affuturo construens iter Deo,
 Cliuosa planis, confragosa vt lenibus
 Conuerterentur, neue quicquam deuium
 Illapsa terris inueniret veritas.

Non vsitatis ortus hic natalibus,
 Oblita lactis iam vieto in pectore
 Matris tetendit serus infans vbera,
 Nec ante partu de senili effusus est,
 Quam prædicaret virginem plenam Deo.

Post in parentes ille solitudines,
 Amictus hirtis bestiarum pellibus,
 Setisve tectus, hispida & lanugine,
 Secessit, horrens inquinari, & pollui
 Contaminatis oppidorum moribus,
 Illic dicata parcus abstinentia

Potum,

AVRELII PRVDENTII

Potum, cibumq; vir seueræ industriæ
 In vsque serum respuebat vesperum,
 Parum locustis & fauorum agrestium
 Liquore pastum corpori suctus dare.

Hortator ille primus, & doctor nouæ
 Fuit salutis : nam sacrato in flumine
 Veterum piatas lauit errorum notas.
 Sed tincta postquam membra defecauerat,
 Cælo refulgens infuebat spiritus.

Hoc ex lauacro labe dempta criminum,
 Ibant renati, non secus quam si rudis
 Auri recocta vena pulchrum splendeat,
 Micet metalli siue lux argentei,
 Sudum polito prænitens purgamine.

Referre prisca stemma nunc ieiunii
 Libet, fideli præditum volumine,
 Ut diruendæ ciuitatis incolis
 Fulmen benigni mansuefactum patris
 Pie repressis ignibus pepercerit.

Gens insolenti præpotens iactantia
 Pollebat olim, quam fluentem nequiter
 Corrupta vulgo soluerat lasciuia,
 Et inde bruto contumax fastidio,
 Cultum superni negligebat numinis.

Offensa tandem iugis indulgentiæ
 Censura, iustis excitator motibus,
 Dextram perarmat rhompheali incendio,
 Nimbos crepantes, & fragosos turbines
 Vibrans, tonantum nube flammaram quatit.

Sed pœnitendi dum datur diecula,
 Si forte vellent improbam libidinem,
 Veteresq; nugas condomare, ac frangere,
 Suspendit ictum terror exorabilis,
 Paulumq; dicta substitit sententia.

Ionam Prophetam mitis vltor excitar,
 Pœnæ imminentis iret vt prænuncius:

Sed

Sed nosset ille cum minacem iudicem
 Seruare malle, quam ferire, ac plectere,
 Tectam latenter vertit in Tharsos fugam.

Celsam paratis pontibus scandit ratem,
 Vdo reuincta fune puppis soluitur.

* Itur per altum, fit procellosum mare, * Iter
 Tum causa tanti quaeritur periculi,
 Sors in fugacem missa vatem decidit.

Iussus perire solus est cunctis reus,
 Cuius voluta crimen vrna expresserat,
 Praeceptus rotatur, & profundo immergitur:
 Exceptus inde beluinis faucibus,
 Alui capacis viuis hauritur specu.

Transmissa raptim praeda, cassos dentium
 Eludit ictus, incruentam transuolans
 Impune linguam, ne retentam mordicus,
 Offam molares dissecarent *viuidi. *viuidi
 Os omne transit, & palatum praeterit.

Ternis dierum, ac noctium processibus
 Mansit ferino deuoratus gutture,
 Errabat illic per latebras viscerum,
 Ventris recessus circumibat tortiles
 Anhelus, extis intus aestuantibus.

Intractus exin tertiae noctis vice,
 Monstri vomentis pellitur singultibus,
 Qua murmuranti sine fluctus frangitur,
 Salsosque candens spuma tundit pumices,
 Ructatus exit, seque seruatum stupet.

In Niniuitas se coactus percito
 Gressu reflectit, quos ut increpauerat
 Pudenda censor imputans opprobria,
 Impendet, inquit, ira summi vindicis,
 Urbemque flamma mox cremabit: credite.

Apicem deinceps ardui montis petit,
 Visurus inde conglobatum turbidae
 Fumum ruinae, cladis & dirae struem,

AVRELII PRVDENTII

***multi modi:** Tectus flagellis *multinodi germinis,
Nato & repente perfruens vmbaculo.
Sed mœsta postquàm ciuitas vulnus noui
Hauit doloris, heu supremum palpitat,
Cursant per ampla congregatim mœnia
Plebs, & Senatus, omnis ætas ciuium,
Pallens iuuentus, eiulantes fœminæ.

Placet frementem publicis ieiuniis
Placare Christum: mos edendi spernitur.
Glaucos amictus induit monilibus
Matrona demptis, proq; gemma, & serico,
Crinem fluentem sordidus spargit cinis.

Squalent recincta veste pullati patres:
Serasq; plangens turba sumit textiles,
Impexa villis virgo bestialibus,
Nigrante vultum contegit velamine,
Iacens harenis & puer prouoluitur.

***Chios** Rex ipse, *Choos æstuantem murices
Læna reuulsa dissipabat fibula
Gemmas virentes, & lapillos sutiles,
Insigne frontis exuebat vinculum
Turpi capillos impeditos puluere.

Nullus bibendi, nemo vescendi memor,
Ieiuna mensas pubes omnis liquerat,
Quin & negato lacte vagientium
Fletu madescunt paruulorum cumula,
Succum papillæ parca nutrix denegat.

Greges & ipsos claudit armentalium
Solers virorum curâ, ne vagum pecus
Contingat ore rorulenta gramina,

*** Proper³ habent nō:** Potum strepentis neve fontis hauriat,
Vacuis querelæ personant præsepibus.

nulli uete- res codices tanq̄ pro- peredicas. Mollitus his, & talibus, breuem Deus
Iram refrenat, temperans oraculum,
*Prosper sinistrum, prona nam clementia
Haud difficulter supplicem mortalium

Sol

Soluit reatum, fitq; faulrix flentium.

Sed cur vetustæ gentis exemplum loquor?

Pridem caducis cum grauatùs artubus

Iesus, dicato corde ieiunauerit,

Prænuncupatus ore qui prophético

Emanuel est, siue nobiscum Deus.

Qui corpus istud molle naturaliter

Captumq; laxo sub voluptatum iugo,

Virtutis arcta lege fecit liberum,

Emancipator seruientis plasmatis,

Regnantis antè victor & cupidinis.

Inhospitali nanque secretus loco

Quinis diebus octies labentibus,

Nullam ciborum vindicauit gratiam,

Firmans salubri scilicet ieiunio

Vas appetendis imbecillum gaudiis.

Miratus hostis posse limum tabidum

Tantum laboris sustinere, ac perpeti,

Explorat arte sciscitator callida

Deus, ne membris sit receptus terreis,

Sed increpata fraude, post tergum ruit.

Hoc nos sequamur quisque nunc pro viribus,

Quod consecrati tu magister dogmatis

Tuis dedisti Christe sectatoribus,

Vt cum vorandi vicerit libidinem,

Late triumphet Imperator spiritus.

Hoc est quod atri liuor hostis inuidet,

Mundi poliç quod gubernator probat,

Altaris aram quod facit placabilem,

Quod dormientis excitat cordis fidem,

Quod limat ægram pectorum rubiginem.

Perfusa non sic amne flamma extinguitur,

Nec sic calente Sole tabescunt niues,

Vt turbidarum scabra culparum seges

Vanescit almo trita sub ieiunio,

Si blanda semper misceatur largitas.

Est

AVRELII PRVDENTII

Est quippe & illud grande virtutis genus,
Operire nudos, indigentes pascere,
Opem benignam ferre supplicantibus:
Vnam, paremque sortis humanæ vicem,
Inter potentes atque egenos ducere.

Satis beatus quisque dextram porrigit,
Laudis rapacem, prodigam pecuniæ,
Cuius sinistra dulce factum nesciat,
Illum perennes protinus complent opes,
Ditatque fructus fœnerantem centuplex.

O Nazarene) Carmen est quale illud, senex fidelis:
canendum à ieiunantib. Multa de ieiuniorum lau-
dibus narrat: & quantum conferat ad animi vires erigen-
das, atque è diuersa carnis libidinem domandam: affertque
in exemplum, Hælia, Moſis, Ioannis baptiſtæ, Niniuitarū,
& tandem Chriſti ieiunium, cui adiungit eleemoſynam in
pauperes. Itaque in primis Chriſtum inuocat, quaſi ieiunij
ſuo ieiunio ſanctificatorem. O nazarene dux Bethleem,
duplex patria tangitur, in qua conceptus & nutritus &
in qua natus eſt: additur etiam ex euangelio Capharnaū,
ut dicit Hieronymus, ſignorum domini familiaris. Dux
Bethleem, ad illud reſpicit quod Matt. ſcribit ca. ij. citans
teſtimonium Micheæ prophætæ ex ca. v. Et tu Bethleem
terra Iuda nequaquam minima es in principibus Iuda: ex
te enim exiet dux, qui reget populum meum Iſrael. Caſtis
parſimonijs, id eſt, ieiunijs quæ nos caſtos faciunt: ſed par-
ſimoniam poſuit pro parco cibo, ſicut & hymnographus
quoque cecinit. Potus cibiſque parcitas. Rex ſerenus, id eſt
uultu placido & fauenti. Feſtum noſtrum. id eſt ieiunium quo
nos alicui feſto præparamus, uel ipſum ieiunium per ſe fe-
ſtum uocat, ut in ſequenti hymno, Soluimus feſtum frui-
murque menſis. Litamus uictimam, quoniã in ieiunio noſ-
metipſos ſacrificamus deo. Myſterio, id eſt, myſtico ſacri-
ficio. Fibra cordis liuidi, id eſt, peccato coinquinati, ſed
fibra potius de iecore quàm de corde dicitur. Ne aruina
id eſt, nimius luxus, qui per aruinam, hoc eſt pinguitudi-
nem

nem designatur. Resudans crapulam, id est, uinum quod (ut ait Hieronymus) despumat in libidinem. Mentis obstrangulata, id est, quam strangularet, si nimio cibo & potui indulgeremus. Hinc, ex ieiunio. Lixus, omnium rerum superfluitas. Gula uini, quia illa præcipuè menti nocet. Sordida somni, id est, quæ sequitur ebrietatē. Degener, quæ facit homines degenerare. Lepos inuerecundus, id est, uerba impudica, dum uolumus uideri lepidi. Variæ pestes, ita proprie appellantur peccata animi pestes. Sentiuunt, id est dolenter recipiunt: nam de sensu qui est cum dolore intelligit, quod incontinentibus contingit. Diffluens, redundans. Scintilla, igniculus ille animi, nobilis mentis, ex origine quam ex cælo duxit. Marcida oblectamine, id est, languens uoluptatibus. Tepescat, refrigescat ex ingenito illo calore. Prudentia deterfa, id est, anima rationalis mundata. Sic scilicet per ieiunia, spiritus perspicax, id est, qui omnia perspicit cum ex ieiunio excitatur. Liberq; flatu laxiore, id est, cum arctaretur ex nimio cibo & potu: ex illa angustia liberabitur per ieiunium & utetur liberiore spacio. Helias uetus sacerdos, id est, propheta: Tali obseruantia, id est, obseruatione ieiunij: Hospes ruris aridi, nam fugiens impotentiam Iezabel (ut legimus in iij. Regum. capit. xix.) profectus est in desertum uiuuntius diei, cum comedisset panem subcimericum ab angelo monstratum, ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus usque ad montem Dei Oreb, ubi mansit in spelunca. Fragore, strepitu hominum. Frequentiam criminum, id est, ubi frequentantur crimina. Silentio syrtium, id est, deserti, ubi non magis est habitatio quam in syrtibus Aphricæ. Sed mox raptus hic raptus in. iij. lib. Re. cap. ij. legitur. Igneis iugalibus, ecce inquit currus igneus & equi ignei diuiserunt Heliam & Eliseum. Afflaret, coinquinaret. Non ante, idem confirmat Mosis exemplo, de quo Exod. xxxiiij. in calce. Ingressus inquit Moyses mediū nebulæ ascendit in montem & fuit ibi quadraginta diebus & quadraginta noctibus.

AVRELII PRUDENTII

Cœli septemplex, id est, septem planetarum: quid nō & aliorum globorum? Decem recursibus, id est, dierum reuolutionibus: quater, hoc est, quadraginta diebus. Ioannes, scilicet præcursor domini. Huius artis, id est, uirtutis, hoc est ieiunij. Curuos uiarum tramites, ex eo quod scribit Marcus in principio sui Euangelij, citans illud ex Esaiâ cap. xl. Vox clamantis in deserto, parate uiam domini, rectas facite semitas eius. Retorsit, id est, ex curuitate in rectitudinem reduxit. Dispendia, id est, uiarū ambages. Dedit lineam, id est, iter rectum, Calle recto, sed angusto quoniam arcta est uia quæ ducit ad uitam. Nuncius, Ioannes, quem Malachias cap. iij. appellat sic, Ecce ego mitto angelū meum, qui præparabit uiam tuam ante te. Hanc obsequelam, id est, obsequium sine ministerium. Construens iter, id est, sternens uiam. Deo affuturo, Christo paulo post uenturo. Ut cliuosa, ex eo quod scripsit Esaias cap. xl. Erunt praua indirecta & aspera in uias planas. Lenibus, id est, planis & nō asperis. Veritas illapsa, id est, Christus de cœlo descendens, qui dixit, Ego sum uia, ueritas, et uita. Hic ortus, scilicet Ioannes. Non usitatis, quia ex patre sene & matre anu. Tetendit ubera, quia prægnantibus ubera distenduntur. Oblita lactis, id est, quæ & propter ætatem & propter desuetudinem erant sicca. In pedore uieto, id est, languido & uiribus destituto. Viere apud antiquos erat uiuere. Terent. in Eun. Victus, ueternosus. &c. Prædicaret, cum exultauit gaudio infans in utero matris. Lucæ. i. Pellibus hirtis, bestiarum, id est, camelorum. Mar. cap. i. & Matth. iij. Et erat Ioannes uestitus pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius, & locustas & mel syluestre edebat. Horrens, timens. Oppidorum moribus, oppidanorum: unde & de illo dixit saluator noster, qui mollibus uestiuntur, in domibus regum sunt &c. Dicata abstinentia, id est, ieiunio dedicato. Hortator prædicans, pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cœlorum. Matth. iij. Sacrato in flumine, in Iordane. Veterum errorum notas, id est, maculas: quod uero habetur

tur pietas, mendum est, & nescio an debeat legi uictus,
 ut supra, in pectore uieto: uel pietas interiectiue positum
 est: ut apud Vergil. vi. Aeneid. Heu pietas, heu prisca
 fides. Quod uero dicit, lauit, quomodo debeat intelligi,
 uide: nam baptisma Ioannis non ablucbat peccata: &
 quod sequitur, quod descendebat spiritus sanctus, de solo
 Christo legitur cum fuit baptizatus à Ioanne, quod de-
 scendit spiritus sanctus in specie columbae, uel potius ue-
 lut columba. Vena auri recocta, id est, balnea igni purga-
 ta, nam ita per recoctionem aurum purgatum, fit obry-
 zum. Lux metalli argentei, id est, splendor argenti, quia
 nec uena est aurum, nec argentum metallum: sed eruuntur
 ex uena siue metallo. Purgamine polito, id est, poliente.
 Sudum, id est, clarum & serenum, & positum nomen pro
 aduerbio sudum pro sude, sicut pulchrum pro pulcre: sic
 Verg. Toruumq; repente proclamat, & sedet, æternumq;
 sedebit: pro torue & æterne. Referre, prosequitur de ie-
 iunio Niniuitarum. Stemma, i. nobilitatem & laudem dus-
 ctam ab antiquitate. Proditum, i. literis mandatum. Volu-
 mine fideli, in Iona propheta qui est ex sacro canone. Ut
 diruenda, ordo est. ut. i. quomodo, flumen benigni patris
 i. ira ex bonitate dei placata. Pepercerit incolis, habita-
 toribus Ninive. Repressis ignibus, aut quod igne wastatu-
 rus erat urbem, aut quia hoc non legitur in prædicto li-
 bro: sed quod erat euersurus, exponendū potius, ut supra,
 ignibus pro furore siue ira. Gens præpotens. Lucanus. Et
 felix sic fama minus. Fluentem nequiter, i. lapsam in libidi-
 nem. Lasciua corrupti, i. ipsi corrupti per lasciuiam. Sol-
 uorat, dissolutam fecerat. Vulgo, i. communiter & passim,
 sine differentia personarum. Contumax, rebellis. Fastidio
 bruto, i. superbia bestiali. Tandem, post multa illorum ci-
 uium crimina. Censura indulgentiæ iugis, i. Deus censor
 indulgentissimus iugiter: nam indulgentia proprie est pa-
 trum in filios mollis & delicata educatio, ut dicit Quinti-
 lianus. Offensa, illorum uitij. Excitatur motibus iustis,
 id est, iusta ira ad puniendum illos, Incendio rhomphea-

li, exponendum ut supra, id est, ense illo de quo Genesis
 cap. iij. Collocavit ante paradysum uoluptatis Cherubim
 & flammeū gladium atque uersatilem. est enim rhomphea
 Græcè, Latine gladius siue framea. Vibrans nymbos cre-
 pantes, id est, sonoros & cum fragore uententes. Flamma
 rum tonantum, id est, fulminum, quæ cum erumpunt, to-
 nant nubibus ruptis. Sed poenitendi. ordo est, Sed terror
 exorabilis, id est, deus minis territans, qui tamen potest
 exorari, hoc est, ab illo uenia impetrari. Suspendit ictum,
 id est, continuit manum, neque misit fulmen paratum. Die
 cula poenitendi, id est, in qua penitentiam agerent. Et sen-
 tentia dicta, id est, iam lata, substitit, id est, cessauit. par-
 uo tempore, scilicet uno die. Vltor mitis, sicut supra, ful-
 men mansuetum. Vertit in Tharsos fugam, uidetur signi-
 ficare quam scriptura uocat Tharsis, esse Tharsum ciui-
 tatem Ciliciæ: septuaginta tamen quibus assentitur Hie-
 ronymus, Carthaginem interpretantur. Pontibus, quos uul-
 gus appellat scalas, & omnia quæ sequuntur patent ex le-
 ctione ipsius prophetæ. Urna, uas in quo iaciuntur sortes.
 Verg. vi. Stat ductis sortibus urna. Beluinis, balenæ. Præ-
 da, id est, Ionas, qui ita uocatus est ac si esset balenæ ci-
 bus. Transmissa, id est, transglutita subito. Eludit ictus,
 quia non fuit dentibus læsa. Linguam, à qua etiam non
 est læsa, quod fecit deus: Ne molares uiuidi, id est, acu-
 ti: Dissecarent mordicus, id est, morsu siue mordendo. Of-
 fam, id est, carnem. Retentam, id est, si inter dentes &
 linguam fuisset retenta. Transit & præterit, nulla in oris
 inanitate facta mora. Ternis processibus pro tribus spa-
 tijs, more poetico, posito distributiuo pro numerali, ut
 Vergilius primo Aeneidos, Bina manu lato crispans ha-
 stilia ferro. Per latebras, per tubos, hoc est laryngam &
 uentrem. Recessus tortiles, id est, penetrabilia curua. An-
 helus extis æstuantibus, quia cum balenæ intestina æstu-
 arent, necesse erat prophetam anhelare. Exim, deinde.
 Vice tertie noctis, id est, cum aduenisset nox tertia post
 quam fuit deuoratus: uice autem noctis dixit, quia nox

Et dies inuicem sibi succedunt, unde illud *Cau. Vicissitudines noctium faciunt dies alacriores. Qua fluctus, descriptio est littoris. Qua, id est, ea parte maris qua fluctus frangitur. Fine murmuranti, id est, in termino maris ubi fit murmur ex collisione undarum ad saxa: nam in mari summo non fit talis fragor. Pumices salsos, id est, saxa cauernosa ex salsedine aquae illisae. Vergilius, Dulces latebroso in pumice nidi. Percito gressu, ueloci. Censor, scilicet Ionas, quasi censor, id est, magister morum. Impetans, id est, cum reprehensione commemorans. Impendit, id est, instat Et imminet super uos. Apicem, uerticem. Fumum ruinae, id est, urbis euersae. Et struem, pro stragem. Tectus, id est, adumbratus: Flagellis, flagella sunt summae arborum partes, dicta ab eo quod uento flagellantur, ut ait Seruius in illud Vergilij secundo Georgicorum, Neue flagella summa pete aut summa defringe ex arbore plantas. Germinis multimodi, id est, plantae illius effusa in multos ramos: sed quae fuerit illa planta dubium est. Hieronymus hederam interpretatur, alij cucurbitam fuisse dicunt. Hebraei neutrum esse dicunt, sed suffruticem Palestinae familiarem quod ciccion apud illos dicatur. Vultus doloris, quod ex poenitentia sequebatur. Palpitat supremum, id est, tremit ad morientium similitudinem, quorum membra non mouentur, sed palpitant, Et posuit supremum nomen pro aduerbio. Christum, id est, Deum, ut supra diximus, per prolepsin. Mos edendi, id est, consuetus cibus. Glaucos, uirides, quod in luctu etiam hodie in Italia faciunt, ut lugentes utantur uestibus eius coloris tendentis in nigrorem: Et quae fere imitentur cupressos. Vergilius tertio Aeneid. Stant manibus arae ceruleis maesta uittis atraque cupresso. Pullati patres, id est, uestibus nigris induti. Iuuenalis, Horrida mater, pullati proceres. Recincta ueste, quod etiam in summo luctu scribit Vergil. in iij. Aeneid. fecisse Didonem, Vinculis inquit, in ueste recincta Testatur moritura deos. Setas textiles, id est, cilicium quod textitur ex uillis caprarum.*

AVRELII PRUDENTII

Vergil. 3. Georg. Setas intensa que menta cinipij tondent
 hirci. Velamine nigrante, sicut in nuptijs utebantur flamm
 meolo. Rex ipse, Niniuitarum: Lanam, uestem preciosam:
 Estuantem murices, id est, purpureas, quae imitantur fla
 grantem ignem. Vergil. in. 4. Aeneid. Tyrioque ardebat
 murice lana. Coos, a Co insula prope Rhodum. unde uestes
 Coae dictae. Ouid. Hinc et auaritia causas et Coa pu
 ellis Vestis, & rubro lucida concha gemma. & Propertius.
 Et tenue Coa ueste mouere sinas. Fibula, Zona qua
 uestes cinguntur. Gemmas uirentes, Smaragdos. Lappillos
 sutiles, uniones & margaritas dicit, quae ideo terebrantur
 ut uestibus aut tiaris insuantur. Vinculum frontis, id est,
 coronam ex gemmis & margaritis constructam. Vergil. i. Aeneid.
 Et duplicem gemmis auroque coronam. Nutrix parca, denegans
 succum infantibus, Rorulenta graminum. Vergil. Cum ros in
 tenera pecori gratissimus herba est. Potum. Idem, Nulla neque
 annem libauit quadrupes, nec graminis attigit herbam.
 Vacuis manibus & sine pabulo. Iram breuem, quia ira furor
 breuis est, ut dicit Horat. in. i. Epist. & Psalmographus: Nunquid
 irascitur per singulos dies. Prosper, prosperitatem afferens.
 Oraculum, quod per prophetam iussit praedicari. Reatum, cuius erant
 rei. Fit fauor, i. fauet, sed cur uetusta, quasi dicat, cum habeamus
 exempla recentiora, omittamus antiqua. Pridem, non multo
 tempore ante annos circiter trecentos. Grauiatus artibus,
 qui & itinere defatigabatur, & sitiibat ad puteum, & esuriebat
 in deserto. Dicato corde, i. ad hoc reuerentium saerum dedito.
 Ore prophetico. s. Esaiæ, qui dixit cap. vii. Ecce uirgo concipiet
 & pariet filium, & uocabitur nomen eius Emanuel. Qui. s.
 Emanuel. i. sumpta carne factus homini familiaris. Arcta
 lege uirtutis. i. praedicans uirtutis uiam, quae arcta est &
 difficilis. Fecit liberum. i. a seruitute peccati liberauit.
 Corpus molle naturaliter, id est, ad molliciem & uoluptatem
 procliuè. Iugo laxo, non arcto quale est uirtutum: sed
 laxo, quia lata est uia quae ducit ad perditionem.
 Emancipator. i. assertor & uindex

plaf

plasmatis seruientis .i. hominis sub iugo peccati existens. Cupidinis regnantis ante .s. q̄ nostram carnē sumeret. Loco inhospitali, id est, in deserto. Quinis octies .i. quadraginta. Vindicauit, .i. sibi assumpsit. Gratiam ciborum, .i. suauitatem. Firmans, confirmās et firmum faciens. Vas imbecillum, id est, corpus, qđ est quasi animi uas: unde Apostolus: scientes unusquisque suum uas possidere. Imbecillum, id est, fragile alioquum et pronum ad uoluptates, quæ ut ait Arist. nobis cognatæ sunt. Limum tabidum, .i. hominem ex luto factum, atque ex consequenti mortalem. Explorat, inquit & tentat post tergum, cum dixit illi Christus: uade retro satana. &c. Quisque pro uiribus. Verg. quisq; uiri. Liuor hostis atri, id est, diabolus liuidus & inuidus, inuidet nobis cum uidet nos ieiunantes. Probat, approbat & laudat. Aram altaris, id est, deum, propter quem placandum facimus sacrificium. Limat rubiginem, .i. abstergit peccati sordes. Perfusa, illud quod de elemosyna scribitur, sicut aqua extingit ignem, ita elemosyna extingit peccatum. de ieiunio posse uerius dici putat autor, nihilominus tamen illam ieiunio adiungit. Seges scabra, id est, spinosa & aspera, quæ non finit bonum semen crescere. Vanescit intermoritur. Largitas blanda, .i. mite opus misericordiae: est quippe, misericordiae opera adiungit ieiunio. Inter potentes egenos ducere, id est, putare omnes homines natura esse æquales, atq; ut ait Iuuenalis, paribus constare elementis. Non ut fœmina illa arrogans & immitis apud eundem clamat, ò demens ita seruus homo. Laudis rapacem, .i. auarā gloriæ. Cuius sinistra, ad illud ex Math. cap. vi. Nesciat sinistra tua quid faciat dextera, illum fœnerantem, qui dat simplū ut accipiat centuplum, ex Math. cap. xix. Omnis qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, centuplum accipiet.

HYMNVS POST IEIUNIVM.

Carmen Sapphicū, Endecasyllabum, constans Trochæo, spondeo, dactylo, & duobus Trochæis, hoc modo:

- V . - - - - V V - - V - - V

L. iij

Qua

AVRELII PRUDENTII

Quartus uero quisque, Adonius est, constans Dacty-
lo, & spondeo, hoc modo:

Christe seruatorum regimen tuorum,
Mollibus qui nos moderans habenis,
Leniter frenas, faciliq; septos
Lege coërces.

Ipsè cùm portans onus impeditum
Corporis, duros tuleris labores,
Maior exemplis, famulos remisso
Dogmate palpas.

Nona summissum rotat hora Solem,
Partibus vix dum tribus euolutis,
Quarta deuexo superest in axe
Portio lucis.

Nos breuis voti dape vindicata
Soluimus festum, fruimurq; mensis
Adfatim plenis, quibus imbuatur
Prona voluptas.

Tantus æterni fauor est magistri,
Doctor indulgens ita nos amico
Lactat hortatu, leuis obsequela ut
Mulceat artus.

Addit, & ne quis velit inuenusto
Sordidus cultu lacerare frontem,
Sed decus vultus, capitisq; pexum
Comat honorem.

Terge ieiunans (ait) omne corpus,
Nèue subducto faciem rubore
Luteus tingat color, aut notetur
Pallor in ore.

Rectius læto tegimus pudore
Quicquid ad cultum patris exhibemus,
Cernit occultum Deus, & latentem
Munere donat.

Ille quem morbo residem, gregiq;

Per

Perditam *sanat male dissipantem
 Vellus adfixis vepribus per hirtæ
 Deuia sylvæ.

Impiger pastor reuocat, lupisq;
 Gestat exclusis humeros grauatus,
 Inde purgatam reuehens aprico
 Reddit ouili.

Reddit & pratis, viridiq; campo,
 Vibrat *implexis vbi nulla lappis *impexis
 Spina, nec germen sudibus perarmat
 Carduus horrens.

Sed frequens palmis nemus, & reflexa
 Vernat herbarum coma, tum perennis
 Gurgitem viuus vitreum fluentis
 Laurus obumbrat.

Hicce pro donis tibi fide pastor,
 Seruitus quænam poterit rependi?
 Nulla compensant precium salutis
 Vota precantum.

Quamlibet spreto sine more pastu
 Sponte confectos tenuemus artus,
 Tecq; contemptis epulis rogemus
 Nocte, dieq;.

Vincitur semper minor obsequentum
 Cura, nec munus genitoris æquat,
 Frangit & cratem luteam laboris
 Grandior vsus.

Ergo ne limum fragilem solutæ
 Deserant vires, & aquosus albis
 Humor in venis dominetur, ægrum
 Corpus eneruans:

Laxus, ac liber modus abstinendi
 Ponitur cunctis, neque nos seuerus
 Terror impellit, sua quenque cogit
 Velle potestas.

Sufficit quicquid facias vocato

AVRELII PRVDENTII

Numinis nutu prius, inchoare,
 Siue tu mensam *renuas, cibumq; *renoues
 Sumere tentes.

Annuit dexter Deus, & secundo
 Prosperat vultu, velut hoc salubre
 Fidimus nobis fore, quòd dicaras
 Carpinus escas.

Sit bonum supplex precor, & medelam
 Conferat membris, animumq; pascat
 Sparsus in venas cibus obsecrantum
 Christicolarum.

CHriste seruorum) Carmen sapphicum mixtum adonis
 nico. Canitur post solutum ieiunium, hoc est post cœ-
 nam ieiunantiũ: canitur hic hymnus hora nona, quado ie-
 iuniũ soluitur, hoc est, tempore cœnæ. In quo primò dicit,
 quanta indulgentia Deus Christianos tractet, quibus sub
 lege astricteis tamen habenas laxas dat permittendo illis,
 ut largiori cibo ieiunia soluant, & faciem lauent: quanto
 præterea nos amore prosequatur, ex eo demõstrat, quòd
 relictis nonaginta nouem ouibus hominem perditum quæ
 fuit, deoq; restituit: pro quibus beneficijs gratias à nobis
 agendas esse dicit. Regimen pro rector. Frenas leniter, ex
 eo quod Euangelista scribit, Matt. xi. Iugum meum sua-
 ue est & onus meum leue. Lege facili, non qualis fuit ue-
 tus, quæ iubebat ex talione pœnas luere, hoc est, oculum
 pro oculo, manum pro manu. Ipse cum portans, Ordo est,
 cum tu ipse maior exemplis, uel maior. i. magister, uel po-
 tius maior quæ omnia quæ nobis præcepit facere, ipse ma-
 iorem in modũ fecit, & subiit omnes labores humanos ut
 nobis esset exemplo. Corpus impeditum, & quod animo
 potius est impedimento quam auxilio, Palpas famulos, id
 est, blandiris illos molliter tæctans. Iuuenal. Quem mune
 re palpat charus. Dogmate remisso, id est, non rigido, sed
 molli. Nona hora, quæ antiquiores soliti erant soluere ie-
 iunium. Partibus tribus, subaudi ex quatuor in quas dies
 diuiditur: quemadmodum & nox in quatuor uigiliis, pri-
 ma,

ma, tertia, sexta, nona. Nos soluimus festum, id est, ieiunium, ut in superiori hymno Festumq; nostrum rex serenus aspice. Breuis uoti, id est, quod uouimus in obsequiū. Dape uindicata, id est, accepta. Imbuatur uoluptas, id est, impleatur fames, quam euacuando sequitur uoluptas, cum ipsa dolorem potius afferat, pronam appellat, id est, ad quam sumus natura proni ex Aristo. ut diximus supra. Favor magistri, id est, ita fauet nobis, quod nō prohibet nos uesci cibo sufficienti. Sed indulgens, id est, molliter & delicate nos educās, quod significat indulgere ut supra diximus. Lactat nos, id est, nutrit quasi infantes lacte. Ut obsequela, id est, nos illi obsequentes mulceamus, id est, reficiamus membra ieiunio debilitata. Addit, subaudi ad superiora. Ne quis uelit macerare frontem, ex eo quod scribitur Matth. cap. vi. Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocrita tristes, extermināt enim facies suas ut uideantur hominibus ieiunantes: est autem exterminare extra terminos ponere, quod faciūt qui se ultra modum macerant. Inuenuste turpiter: quia uenustum est pulchrum. Sed comat decus uultus, id est, ornet faciem & exhilaret illam, ex eo quod dixit: Tu autem cum ieiunas, unge caput tuum oleo & faciem tuam laua. Et comat honorem pexum capitis, id est, ornet caput & peccat illud, unde caput maneat pulchrum: nam honor hic pro pulchritudine ponitur, ut apud Vergil. i. Aeneid. Et latis oculis afflarat honores. Color luteus, id est, pallidus. Tingat faciem subducto rubore puta suffitu cymini. Vnde Horat. Quod si pallercm casuerberem exangue cyminum, id est, quod sanguinem extingit ex quo robur constat. Laeto pudore, id est, rubore, quoniam quos pudet rubent, unde pudor pro rubore & contrario rubor pro pudore: nam ut dixit Dio. ille est color uirtutis. Cernit occultum deus, ex eo quod ibidem scribitur, Pater tuus qui uidet in abscondito reddet tibi. ille orem, quantus sit amor dei erga nos ostendit, quod relictis nonaginta nouem ouibus, id est, nouem ordinibus angelorum, ad hominē deperditum profectus est: quā sitū ex eo quod

quod scribitur Matt. xvi. si fuerint alicui centū oues &
 errauerit una ex eis, nōne relinquit nonaginta nouem?
 Quem morbo desidem, id est, tardam & pigram, qualcm
 Vergil. lib. iij. Georgic. describit,
 Quam procul aut molli succedere sapius umbræ
 Videris, aut summas carpentem ignauius herbas,
 Extremamque sequi, aut medio protumbere campo
 Pascentem, & seræ solam decedere nocti:
 Continuo culpam ferro compesce. Gregiꝫ perditā. i. à
 grege aberrantē. Exclusis lupis, fugatis. Gestat humeros
 grauatus. i. ouem humeros grauantē. Purgatā. s. sentibus.
 Ouilī aprico, ecclesiæ aut beatorū numero. Campo uiridi
 .i. paradiso. Vbi nulla spina, quæ scilicet ouiu uellera, imò
 & cutem lædat. Vibrat, crispatur. Implexis lappis, id est,
 inuolutis illis herbis, de quibus Vergilius primo Georg.
 Subit aspera sylua, Lappæque tribuli que. Sudibus per ar
 mat, id est, spinis erectis in modum sudium. Iuuenal. Ere
 ctas in terga sudes. Carduus horrens, hirtus spinis. Vergi
 lius, Segnisque horreret in aruis carduus. Coma herba
 rum, id est, folium emittit flores. Obumbrat, id est, incum
 bit fluuio uitreo, id est, pellucido & transparenti. Fluen
 tis iuiuis, id est, mobilibus & ex aqua natura scaturienti,
 ut Vergilius, Viuoque sedilia saxo. Compensant, exequare
 possunt. Quamlibet, sensus est, quòd quantumcunque nos
 reuamo marceremus & oremus die noctuque, omnia be
 neficijs diuinis sunt minora. Minor cura vincitur, id est,
 omne illud quod curamꝫ. Frangit at cratem. sed (inquit)
 quanquam ita sit, si nos ultra modum macceremus, dissol
 uetur hoc figmentum. Grandior usus laborum, quia ni
 mium utendo testaceo uase, aliquādo frangitur; et ita cor
 pus nostrum quod est ex luto compositum. Cratem, quæ
 ex uirgis contextitur, hic pro figulino opere ponitur. Hur
 mor aquosus, quia uentre uacuo confluunt eò humores,
 quare cibus esurientibus imperatur. Laxus & liber, id
 est, solutus, & ut ad saturitatē edamus: sed non ad satie
 ratem. Neque terror seuerus, i. deus seuerus & terrenus, im
 pel-

pellit nos .i. cogit nos, subaudi, ultra modum à cibo continere. Sua potestas cogit quenq; uelle. i. ut quisque uelit secundum suam possibilitatem. Sufficit, iuxta illud Apostoli Quicquid facitis, in nomine domini nostri Iesu Christi facite. Hoc salubre, scilicet quòd carpinus escas, & c. animum pascat, quia ex salubritate corporis sequitur animi libera contemplatio.

HYMNVS OMNIHORA.

Carmen Trochaicum, tetrametrum, monocolon, tristrophon, catalecticum: Paribus locis habet Trochaën, Spondeum, & nonnunq; Anapestum: Imparibus Trochaëum, Tribachum, & Dactylum, hoc modo:

- v - - - v - - -

- v - v - v v

DA puer plectrum, choreis
 Ut canam fidelibus
 Dulce carmen, & melodum,

Gesta Christi insignia,
 Hunc Camæna nostra solum
 Pangat, hunc laudet lyra.

Christus est, quem rex sacerdos
 Ad futurum protinus
 Infulatus concinebat
 Voce, chorda, & tympano,
 Spiritum cælo influentem
 Per medullas hauriens.

Facta nos etiam probata
 Pangimus miracula,
 Testis est orbis, nec ipsa
 Terra, quod vidit, negat,
 Comminus Deum docendis
 Proditum mortalibus.

Corde natus ex parentis
 Ante mundi exordium,
 Alpha & Ω cognominatur,
 Ipse fons, & clausula

Om

Omniū quæ sunt, fuerunt,

Quæq; post futura sunt.

Ipsē iussit, & creata,

Dixit ipse, & facta sunt,

Terra, cœlum, fossa ponti,

Trina rerum machina,

Quæq; in his vigent sub alto

Solis, & Lunæ globo.

Corporis formam caduci,

Membra morti obnoxia

Induit, ne gens periret

Primo plasti ex germine,

Merferat quem lex profundo

Noxialis Tartaro.

O beatus ortus ille,

Virgo cūm puerpera

Ædedit nostram salutem,

Fœta sancto spiritu,

Et puer redemptor orbis

Os sacratum protulit.

Pfallat altitudo cœli,

Pfallant te omnes angeli,

Quicquid est virtutis vsquam

Pfallat in laudem Dei:

Nulla linguarum filescat,

Vox & omnis consonet.

Ecce quem Vates vetustis

Concinebant saculis,

Quem prophetarum fideles

Paginæ sponponderant,

Emicat, promissus olim,

Cuncta collaudent eum.

Cantharis infusa lymphæ

Fit falernum nobile,

Nunciat vinum minister

Esse promptum ex hydria,

Ipsē

Ipse rex sapore tinctis

Obstupescit poculis.

Membra morbis vlcerosa,

Viscerum putredines

Mando, vt abluantur, inquit:

Fit ratum quod iusserat,

Turgidam cutem repurgant

Vulnerum piamina.

Tu perennibus tenebris

Iam sepulta lumina

In limo salubri,

Sacri & oris nectare

Mox apertis, hac medela

Lux reducta est orbibus.

Increpas ventum furentem

Quod procellis tristibus

Vertat æquor fundo ab imo,

Vexet & vagam ratem:

Ille iussis obsecundat,

Mitis vnda sternitur.

Eximum vestis sacrata

Furtim mulier attigit,

Protinus salus secuta est:

Ora pallor deserit,

Sistitur riuus, cruore

Qui fluebat perpeti.

Exitu dulcis iuuentæ

Raptum ephebum viderat,

Orba quem mater supremis

Funerabat fletibus:

Surge, dixit: ille surgit,

Matri & astans redditur.

Sole iam quarto carentem

Iam sepulchro absconditum

Lazarum iubet vigere

Redito spiramine,

Fœtidum iecur reductus

Rursus intrat halitus.

Ambulat per stagna ponti,

Summa calcat fluctuum,

Mobilis liquor profundi

Pendulam præstat viam.

Nec fatiscit vnda sanctis

Pressa sub vestigiis.

Suetus antro bustiali

Sub catenis frendere,

Mentis impos efferatis

Percitus furoribus

Profilit, ruitq; supplex

Christum adesse vt senserat.

Pulsa pestis lubricorum

Milleformis dæmonum,

Corripit gregis suilli

Sordida spurcamina,

Seq; nigris mergit vndis,

*Vt pecus lymphaticum.

*Fit

Fert qualis ter quaternis

Ferculorum fragmina,

Affatim referta iam sunt

Accubantum millia

Quinque panibus peresis,

Et gemellis piscibus.

Tu cibus, panisq; noster,

Tu perennis suauitas,

Nescit esurire in æuum

Qui tuam sumit dapem,

Nec lacunam ventris implet,

Sed fouet vitalia.

Clausus aurium meatus,

Et sonorum nescius,

Purgat ad præcepta Christi

Crassa quæque obstacula,

Vo

Vocibus capax fruendis,
 Ac susurris peruius:
 * Omnis ægritudo cedit,
 Languor omnis pellitur,
 Lingua fatur, quam veterna
 Vinxerant silentia,
 Gestat & suum per urbem
 Lætus æger lectulum.

Quin & ipsum, ne salutis
 Inferi expertes forent,
 Tartarum benignus intrat,
 Fracta cedit ianua,
 Vectibus cadit reuulsus
 Cardio dissolubilis.

Illa prompta ad irruentes,
 Ad reuertentes tenax,
 Obice *retrorsum pulso. *extro
 Porta reddit mortuos sum re-
 Lege versa, & limen atrum cluso
 Iam recalcandum patet.

Sed Deus dum luce fulua
 Mortis antra illuminat,
 Dum stupentibus tenebris
 Candidum præstat diem,
 Tristia squalentis æthræ
 Palluerunt sydera.

Sol refugit, & lugubri
 *Sordidus ferrugine *Sordib.
 Igneum reliquit axem,
 Sæq; mœrens abdidit:
 Fertur horruisse mundus
 Noctis æternæ chaos.

Solue vocem mens sonoram,
 Solue linguam mobilem,
 Dic trophæum passionis,
 Dic triumphalem crucem,

Pan

Pange vexillum notatis
 Quod refulget frontibus.

O nouum *cæde stupenda *cædis stupendæ
 Vulneris miraculum,
 Hinc cruoris fluxit vnda,
 Lympha parte ex altera.
 Lympha nempe dat lauacrum,
 Tum coronâ ex sanguine est.

Vidit anguis immolatam
 Corporis sacri hostiam,
 Vidit & fellis perusti,
 Mox venenum perdidit,
 Saucius dolore multo
 Colla fractus sibilat.

Quid tibi, profane serpens,
 Profuit rebus nouis
 Plasma primum perculisse
 Versipelli *astutia? *hortamine.
 Diluit culpam recepto
 Forma mortalis Deo.

Ad breuem se mortis vsum
 Dux salutis dedit,
 Mortuosq; olim sepultos
 Vr redire insuesceret,
 Dissolutis pristinorum
 Vinculis peccaminum.

Hunc patres, sanctiq; multi
 Conditorem præuium
 Iam reuertentem secuti,
 Tertio demum die
 Carnis indumenta sumunt,
 Eq; bustis prodeunt.

Cerneres coire membra
 De fauillis aridis,
 Frigidum venis resumptis
 Puluerem tepescere,

Ossa, neruos, ac medullas
 Glutino cutis tegi.

Póst vt occasum resoluit,
 Vitæ & hominem reddidit,

Arduum tribunal alti

Victor ascendit patris,

Inclytam cælo reportans

Passionis gloriam.

Maeste iudex mortuorum,

Maeste rex uiuentium,

Dexter in parentis arce

Qui tuis virtutibus

Omnium venturus inde

Iustus vltor criminum.

Te senes, & te iuuentus,

Paruulorum te chorus,

Turba matrum, virginumq;

Simplices puellulæ,

Voce concordés pudicis

Perstreant concentibus.

Fluminum lapsus, & vndæ,

Littorum crepidines,

Imber, æstus, nix, pruina,

Sylua, & aura, nox, dies,

Omnibus te concelebrent

Sæculorum sæculis.

D *A puer plectrum.) Carmen monocolon, tetrametrum, trochaicum, catalecticum Archilochium, constans septem pedibus & syllaba, recipiens in locis paribus spondeos, in imparibus uero trocheos semper habet. Est carmen accommodatum quod ad omnes horas canatur. Commemorat duplicem Christi ortam, æternum à patre, & temporalem à matre: deinde miracula complura quæ fecit, & passionem descensumque ad inferos: & ad cælum ascensionem, unde uenturus est iudex uiuorum & mortuorum: tandem hortatur omnem sexum &*

etatem ad illius laudes concelebrandas. Da puer, famulus
 suum alloquitur more poetico, iubetque sibi afferrè
 musicum instrumentum, ut cantet uoce & chordis Christi
 miracula. Plectrum, instrumentum quo tanguntur chor-
 dæ, sed hic pro ipso instrumento ex fidibus posuit. Cho-
 reis fidelibus, id est, non Ethnicis sed Christianis. Et me-
 lodum scilicet carmen: neque enim declinatur melos melo-
 dis ut quidam putant, sed melos melu: ergo carmen melo-
 dum, id est, dulce, à meli, quod est mel, & ode cantus. Ge-
 sta insignia appositue. Camæna, i. carmen per metoni-
 miam. Laudet lyra, i. carmen lyra applicatum, Rex sacer-
 dos, i. Dauid qui fuit rex, sed sacerdotem cur illum uocet,
 non uideo: quoniam sacerdotium cum regno in Christum
 cōuenit, nisi forte quia unctus fuit. Ad futurum protinus
 .i. paulò post. Infulatus, more pontificis infula indutus. Vo-
 ce cantando, chorda in psalterio decachordo aut cithara
 plarium chordarum. Tympano, instrumento noto. Cælo
 influente, i. qui è cælo insluetur aspirabaturque. Facta et
 probata, i. non solum facta, sed etiam ueris Euangelistarum
 testimonijs comprobata. Testis orbis, imò inquit omnis
 terra in quam exiuit sonus Apostolorum. Deum proditum
 .i. partu uirginis editum. Comminus, i. prope, ad illud Ba-
 ruch. v. In terris uisus est, & cum hominibus conuersatus
 est. Ex parentis corde, quia quemadmodum sapientia pro-
 ficiscitur ex corde, secundum Platonem, unde uerbes di-
 cimus insanos: ita Christus, qui est sapientia patris, per
 æternam generationem ortus est ex corde patris. Alpha
 & Ω cognominatus. Apoc. i. Ipse fons, id est, principium,
 Et clausula, i. finis in quem omnia clauduntur terminan-
 turque. Verg. in Buc. Ante diem clauso componet uesper
 olympo. Ipse iussit, ex Psal. xlvij. Quia ipse dixit & facta
 sunt, ipse mandauit & creata sunt. Fossa ponti, i. maris re-
 ceptaculum siue alueum. Cælum pro aère posuit, subdit
 namque, quæque uigent in his sub alto globo solis, signifi-
 catque tria elementa in quibus animalia uiuunt. Corpo-
 ris caduci, id est, mortalis, obnoxia, i. obligata. Primopla-
 sti

*fi, cur non potius protoplasti ne sit compositio ex latino
 & græco. Lex noxialis, non quòd lex nocuit nisi per acci-
 dens: sed quòd ipsi peccando contra legem acceperunt no-
 cumentum. Protulit os, extulit faciem ex utero uirginis,
 Virtutis .i. potestatis. Pagine fideles, quæ non poterant
 metiri. Cantharis, primū signum quod fecit Iesus in Cana
 Galilææ ex Ioan. cap. ij. falernum nobile, generosissimum
 ex Campania uinum, ut sit species pro genere. Ipse rex,
 conuiuij princeps, hoc est, architriclinus, rex in hac signifi-
 catione apud Martialem, Iuuenalē, & Columellam sæpe.
 Membra morbis ulcerosa, de hoc Matth. viij. Ecce lepro-
 sus adorabat eum dicens: Domine si uis potes me munda-
 re, & extendens Iesus manū tetigit eum dicens: uolo, man-
 dare. Piamina uulnerum .i. munerā quæ iussus est offerre
 sacerdotibus. Tu perennibus tenebris, de cæco illo à na-
 tiuitate loquitur, quem Iesus factō luto ex terra & sputo
 perunxit, statimque uidit: ex Ioan. cap. ix. Nectaræ oris .i.
 salua illa diuina, quia nectar potus est deorum. Orbibus,
 oculorum sinibus. Increpas uentum furentem, ex eo quod
 scriptum est Mat. viij. Quod dormiente Christo in nauic-
 ula qua uehebatur cum discipulis, cum ingruisset tempe-
 stas, expergefactus ab illis in summo discrimine positus,
 imperauit uentis, & facta est tranquillitas magna. Extimū
 uestis sacratæ, ex eo quod scribitur Mat. 8. Quod eunte Iesu
 ad domū principis synagogæ, mulier quæ dā quæ sangui-
 nis fluxum patiebatur accessit retro, & tetigit fimbriam
 uestimenti eius, dicebatque intra se, si tetigero fimbriam
 uestimenti eius, salua ero, & saluata est. Exitu dulcis, de
 hoc miraculo Luc. cap. viij. Ibat inquit Iesus in ciuitatem
 quæ dicitur Naim, & ecce defunctus efferebatur filius unī
 cus matri suæ: & ibidē, quomodo suscitatus est. Sole iam
 quarto, quomodo Lazarum à mortuis suscitauit ex Ioan.
 cap. xij. Vigere uitam & uigorem habere. Spiramine ani-
 ma: id quod sequitur pro eo quod præcedit. Halitus reddi-
 tus, eodē modo .i. aīa. Ambulat p stagna ex Mat. ca. xiiij.
 Quod cum discipulorum nauicula quater etur fluctibus, ne*

nit ad eos quarta noctis uigilia, ambulans per summos flus-
 Etus: nec unda fatiscit, id est, debiscit aut cedit, sed susti-
 net uestigia. Suetus antro, hoc gestum narratur in Marc.
 cap. 5. quo pacto exeunte Iesu de nauis statim occurrit de-
 monumētis homo in spiritu immūdo etc. In antro bestiali,
 id est, sepulchro ubi erant cineres alicuius sepulti. Mentis
 impos, quia exagitabatur à demone, neque quicquid suo ar-
 bitrio faciebat, lege ex Euangelista. Ferti quæ qualis, quo pa-
 cto multa hominū milia ex quinque panibus et duobus pisci-
 bus saturauit, ex Mat. ca. xiiii. Qualis ter quaternis, id est
 duodecim cophinis: nam quali sunt canistra ex uiminibus
 contexta. Peresis .i. comestis à per & edo: gemellis pro
 duobus posuit. Tu cibus, quæ dixit tot millia saturasse etc.
 nunc dicit Christum esse uerum cibum uerumque panem.
 Iuxta illud: Caro mea uere est cibus. & illud eiusdem, Ego
 sum panis uiuus qui de cælo descendit. In æuū, ad illud,
 Qui māducat hunc panem, uiuet in æternum. Lacunam, re-
 ceptacula. Vitalia, id est, animi penetralia. Clausus aurū,
 de illo surdo intelligendum, quem Iesus curauit, expuens
 tetigit linguam eius dicens: ephethah. & c. ex Marco
 cap. vii. Nescius sonorum, quia surdus ille nunquam au-
 dierat. Crassa obstacula, id est, aurium sordes. Omnis æ-
 gritudo, omne genus morbi. Lingua fatur, multa miracu-
 la complectitur, sed maxime de mutis, Mar. ix. Lucæ. xij.
 Silentia ueterna, pro inueterata posuit, aut pro torpore
 linguæ: suam lectulum, ut ille de quo Mar. ij. & Ioan. v.
 Illa prompta ad irruentes, id est, ad recipiendum intran-
 tes. Et tenax, difficilis ad reuertentes. Iuxta illud Vergil.
 lib. vi. Facilis descensus auerni, sed reuocare gradū & c.
 Recalcandum, id est, retro eundem. Luce fulua, coloris au-
 rei. Sydera æthræ tristia, propter Christi mortem, in qua
 Sol eclipsim passus est. Squallentis, lugubris. Palluerunt,
 in nigrorem uersa sunt. Vergil. Pallentes umbras Erebi.
 Refugit, indignatus tantum scelus admissum, ut Vergil.
 pri. Aneid. Nec tam auersus equos Tyria sol iungit ab
 arbe. Lugubri ferrugine, Vergilius primo Georgico-
 rum

ram. Cum caput obscura nitidum ferrugine texit. Fertur horruisse, ex eo quod tenebrae factae sunt à sexta hora usq; ad horam nonā. Est imitatio Verg. i. geor. Impiaq; æternum timuerunt secula noctem. Vocem mobilem, quæ mouetur per medium spacium extenditurque, quid si legas lingua mobilis, quæ ad hoc mouetur, ut de fama Verg. lib. iij. Mobilitate uiget, uiresque acquirit eundo. Trophæum passionis, qualis describitur à Verg. in lib. xi. Ingentem quercum decisis undique ramis. Sic Frontibus notatis, id est, crucem, in qua est altitudo, latitudo, & profunditas. Vnda cruoris, ex eo quod scribit Ioan. cap. xix. Vnus militum lancea latus aperuit, & continuo exiit sanguis & aqua. Corona ex sanguine est, aut forte martyrii coronam significat, quia effusio sanguinis pro baptismo habetur. Vidit anguis, serpens ille qui erat calidior cunctis animantibus. Fellis perusti, id est, incocti, & retulit ad diaboli inuidiam. Astutia uersipelli, tractum ab Arcadibus, qui traiecto flumine in lupos se transfigurabant, & rursus ex lupis in homines: itaque proprijs, qui nunc hoc, nunc illud faciunt dicuntque, ut decipiant. Plaut. in Amphit. Versipellem se facit quando lubet. Forma mortalis, id est, homo. Ad breuem usum, per quadraginta horarum spacium. Insuesceret, pro assuescaceret, aut pro impersonali ponitur. Mortuos sepultos, id est, peccatores qui in peccato erant. Redire, subaudi ad uitam. Tunc patres, ad illud refertur quod scribit Euangelista Matt. xxvij. Et multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt &c. Glutino cutis, quia cute membra quodam modo conglutinantur continenturque. Resoluit occasum, id est, mortem dissipauit. Cælo, id est, ad cælum, ut Verg. It cælo clamor que uirum, clangorq; turbarum. Dexter, id est, ad dexteram patris sedens. Te senes, omnia ad Dei laudes exhortatur.

HYMNVS IN EXEQVIIS

DEFVNCTORVM.

M. iij.

Car.

AVRELII PRUDENTII

Carmen monoclon Anapaesticum, dimetrum, Cata-
lecticum, constat tribus Anapaestis & syllaba: Quamvis
Prudentius pomiscue duabus prioribus sedibus Ana-
paesto & spondeo utatur: tertia uero Anapaesto est pe-
culiaris, hoc modo:

v v - v v - v v - -

DEUS ignee fons animarum,
Duo qui socians elementa
Viuum simul, ac moribundum
Hominem pater effigiasti.

Tua sunt, tua recta vtraque,
Tibi copula iungitur horum,
Tibi dum vegetata cohærent,
Spiritus simul & caro *viuit. *seruit

Rescissa sed ista seorsum,
Proprios te uocantur in ortus,
Petit alter æthera feruens,
Humus excipit arida corpus.

Rescissa sed ista seorsum
Soluunt hominem, perimuntq;
Humus excipit arida corpus,
Anima rapit aera liquorem.

Quia cuncta creata necesse est
Tabefacta senescere tandem,
Compactatq; dissociari,
*Et dissona texta retexi. *Ve

Hanc tu Deus optime mortem
Famulis abolere paratus,
Iter inuiolabile monstras,
Quo perdita membra resurgant.

Vt dum generosa caducis,
Ceui carcere clausa ligantur,
Pars illa potentior extet,
Quæ germen ab æthere traxit.

Si tertia forte voluntas
Luteum sapir, & graue captat,

Ani

Animus quoque pondere victus,
Sequitur sua membra deorsum.

At si generis memor ignis

Contagia *nigra recuset, *pigra

Vehit hospita viscera secum,

Pariterq; reportat ad astra:

Nam quod requiescere corpus

Vacuum sine mente videmus,

Spacium breue restat, vt alti

Repetat collegia sensus.

Venient cito sæcula, cum iam

Socius calor ossa reuisat,

Animataq; sanguine viuo

Habitacula pristina gestet.

Quæ pigra cudauera pridem

Tumulis putrefacta iacebant,

Volucres rapientur in auras,

Animas comitata priores.

Hinc maxima cura sepulchris

Impenditur, hinc resolutos

Honor vltimus accipit artus,

Et funeris ambitus ornat.

Candore nitentia claro

Prætendere lintea mos est,

Aspersaq; myrrha Sabæo

Corpus medicamine seruat.

Quid nam sibi saxa cauata?

Quid pulchra volunt monumenta?

Res quòd nisi creditur illis

Non mortua, sed data somno?

Hoc prouida christicolarum

Pietas studet, vtpote credens

Fore protinus omnia viua,

Quæ nunc gelidus sopor *vrget. *arces

Qui iacta cadauera passim

Miserans tegit aggere terræ

Opus exhibet ille benignum
Christo pius omnipotenti.

Quia lex eadem monet omnes
Gemitum dare sorte sub vna,
Cognataq; funera nobis
Aliena in morte dolere.

Sancti fator ille Tobia,
Sacer ac venerabilis heros,
Dapibus iam rite paratis
Ius prætulit exequiarum.

Iam stantibus ille ministris,
Cyathos & fercula liquit,
Studioq; accinctus humandi,
Fletu dedit ossa sepulchro.

Veniunt mox præmia cælo,
Preciumq; rependitur ingens,
Nam lumina nescia Solis
Deus illita felle serenat.

Iam tunc docuit pater orbis,
Quàm sit rationis egena,
Mordax, & amara medela,
Cum lux animum noua vexat.

Docuit quoq; non prius vllum
Cælestia cernere regna,
Quàm nocte & vulnere tristi
Tolerauerit aspera mundi.

Mors ipsa beator ind' est,
Quod per cruciamina lethi
Via panditur ardua iustis,
Et ad astra doloribus itur.

Sic corpora mortificata
Redeunt melioribus annis,
Nec post obitum recalescens
Compago fatiscere nouit.

Hæc quæ modo pallida tabo
Color albidus inficit ora,

Tunc

Tunc flore venustior omni,
Sanguis cute tingit amœna.

Nam nulla deinde senectus
Frontis decus inuida carper,
Macies neque sicca lacertos
Succo tenuabit adefo.

Morbus quoq; pestifer artus
Qui nunc populatur anhelos,
Sua tunc tormenta resudans
*Lucet inter vincula mille. *Luet

Hunc eminus aère ab alto
Vicitrix caro, iamq; perennis
Cernet sine fine gementem
Quos mouerat ipse dolores.

Quid turba superstes inepra
Clangens vlulamina miscet?
Cur tam bene condita iura,
Luctu dolor arguit amens?

Iam mœsta quiesce querela,
Lachrymas suspendite matres;
Nullus sua pignora plangat,
Mors hæc, reparatio vitæ est.

Sic femina sicca virescunt
Iam mortua, iamq; sepulta
Quæ reddita cespite ab imo
Veteres meditantur aristas.

Nunc suscipe terra fouendum,
Gremioq; hunc concipe molli,
Hominis tibi membra sequestro,
Generosa & fragmina credo.

Animæ fuit hæc domus olim
Factoris ab ore creata,
Feruens habitauit in istis
Sapientia principe Christo.

Tu depositum tege corpus,
Non immemor ille requireret
Sua

AVRELII PRVDENTII

Sua munera fictor, & autor,
Propriiq; ænigmata vultus.

Veniant modo tempora iusta,
Cum spem Deus impleat omnem,
Reddas patefacta necesse est,
Qualem tibi trado figuram.

Non si cariosa vetustas
Dissoluerit ossa fauillis,
Fueritq; cinisculus arens
Minimi mensura pugilli.

Nec si vaga flumina, & auræ
Vacuum per inane volantes,
Tulerint cum puluere neruos,
Hominem periisse licebit.

Sed dum resolubile corpus
Reuocas Deus, atque reformas,
Quâ nam regione iubebis
Animam requiescere puram?

Gremio senis abdita sancti
Recubabit, vt est Eleazar
Quem floribus vndique septum
Diues procul aspicit ardens.

Sequimur tua dicta redemptor,
Quibus atra morte triumphans,
Tua per vestigia mandas
Socium crucis ire latronem.

Patet ecce fidelibus ampli
Via lucida iam paradisi,
Licet & nemus illud adire,
Homini quod ademerat anguis.

* Illud precor optime ductor, * Illic
Famulam tibi præcipe mentem
Genitali in sede sacrari,
Quam liquerat exul, & errans.

Nos tecta fouebimus ossa
Violis, & fronde frequenti,

Titulumq; & frigida saxa
 Liquido spargemus odore.

D Eus ignee fons animarum) Carmen est monocolon, anapæsticum, Partheniatum, dimetrum, catalexicum, constans tribus pedibus & syllaba: recipit autem in duabus primis sedibus, anapæstum & spondeum indifferenter, in tertia autem semper anapæstum & syllabam. Canitur in exequijs mortuorum, & imprimis dicit hominem à deo compactum ex anima caelesti & corpore caduco, sed cū in morte anima dissoluitur à corpore, quodlibet illorū suam repetit originem: deinde subiungit multa de resurrectione, & quod propter illam spem debemus mortuos sepelire, & colere cineres illorum, quod probat exemplo Tobiae: dicit præterea quòd mortui ex ea causa non sunt lugendi. Fons ignee, ex opinione antiquorum dicit, qui deum & omnia caelestia ignea esse dixerunt: Et ipsum animum ex natura ignis esse putavit Cicero in primo Tusculanarum, & Vergil. vi. Aeneid. cum dixit, Igneus est ollis vigor & caelestis origo. Duo elementa scilicet uiuum, hoc est animam igneam: Et moribundum scilicet corpus, unde Vergilius ibidem, Moribundaque membra, dixit. Vtraque, corpus & anima. Tua sunt, iure creationis. Copula, id est, homo ex his duobus copulatus. Spiritus & caro, unde canit ecclesia, Regem cui omnia uiuunt. Ista scilicet duo elementa: Liquorem animæ, id est, animam ex elemento liquido & puro constantem, aura rapit in sublime. Et texta dissona, ex contrarijs elementis composita. Retexi, id est, resolui in ea ex quibus texta, id est, composita sunt, ut Ouidius, Tela retexta dolo. Hanc tu deus, sensus est, quòd deus monstrat nobis uiam qua possimus resurgere in uitam æternam: nam impij non resurgunt in iudicium ut uitam illam uiuant: sed potius resurgent in mortē æternam. Iter inuiolabile, id est, incorruptū & rectum. Vt dum, hæc est uia quam dixit, ut quandiu sumus in hac uita mortali, cogamus partem illam irrationalem quæ luctatur aduersus

AVRELII PRUDENTII

Spiritum, obtemperare rationi, quod est philosophari, hoc est, animum à corpore separare per contemplationem. Generosa caducis, id est, anima immortalis cum corpore mortali. Clausa ceu carcere, secundum Platonis opinionem: atque illud etiam significat Apostolus, cum dicit: Miser ego homo, quis me liberabit à corpore mortis huius? Pars illa, scilicet animus: Extet, emineat & dominetur parti illi appetitiuæ. Si terrea, sensus est, quod si ratio sequitur appetitum, vinciturque ab eo: uterque descendet in gehennam ignis. Voluntas terrea, id est, appetitus irrationalis, qui corpus & terrena sapit, quæ ponderosa sunt. Si sapit luteum, non obediens rationi: Et captat graue, id est, ea quæ se habent ex parte carnis: Animus uictus, à parte illa irrationali: sequitur sua membra, cum alioqui ex natura sua quæ est ignea, tendere debuerit in sublime. Ignis generis, id est, à quo ducit genus, ut supra diximus. Contagia nigra, ab effectu, quæ illum reddunt pice nigriorem. Viscera hospita, id est, carnem, cuius natura est deorsum tendere, quæ in cælo hospes erit, animus autem indigena. Spacium breue, comparatione æternitatis. Collegia alti sensus, id est, societatem animi qui altum sentit, & profunde intelligit. Calor socius, id est, animus ad cuius præsentiam in corpore sequitur calor. Gestet habitacula, id est, corpus quod est suum domicilium. In auras uolucres, id est, quas uelociter penetrabit. Priores, id est, quas prius habuerant. Hinc, id est, propter resurrectionis spem. Vltimus honor. Vergilius, Et cineri nigrato suprema ferebat munera. Funeris ambitus, id est, funus ambitiosum, hoc est, quod honoris causa paratur. Lintea, uelamina, quibus mortui inuoluuntur, aut quæ super iniiciuntur. Myrrha. Martia. Et olentem funera myrrham. Sabæo, thureo. Data somno, unde in sacris literis mortui dormire dicuntur, ut Non est mortua puella sed dormit. & illud, Amicus noster Lazarus dormit. Sopor gelidus, mors. Frigida, ab effectu. Vergilius in. 4. Aneid. Et cum frigida mors anima subduxerit artus. Opus bene

gnum

gnum, unum ex septem operibus misericordiae. Prius, hoc est imprimis, quia opera misericordiae quae pauperibus exhibentur, sibi imputanda Christus fatetur. Gemitum dare sub una sorte, id est, in morte alicuius ut gemamus. Iuuenalis, Mollissima corda humano generi dare se natura fatetur, quae lachrymas dedit. Naturae imperio gemimus cum funus adultae uirginis occurrit. Cognata nobis, id est, eiusdem speciei, quam omnes homines ex aequo participant. Sator Tobiae. Ex uolumine ipsius Tobiae, cap. ij. ubi hoc narratur. Prætulit, quia relicto prandio mortuum detulit in domum, ut sub tempus uespertinum sepeliret. Stantibus, ut inferrent fercula pransuro. Lumina nescia solis, id est, oculos excæcatus. Illita felle ex pisce, ut scribitur eiusdem libri capit. xi. Mordax & amara, quale est fel, ex quo Tobias uisum recepit. Lux noua, quae non potest accipi nisi ex amaritudine. Cælestia regna, ubi est illa lux inaccessibilis. Nocte & uulnere, id est, ex tenebris uulnere factis, sicut Tobias ex stercore hirundinis cæcatus. Ad astra itur doloribus, Vergil. Disce puer ex me uirtutem uerosque labores: quia sic itur ad astra. Redeunt melioribus annis, id est, in ætatem plenitudinis Christi, ut Apostolus. Fatiscere, quia post resurrectionem non erit alia mors. Color albidus, qui sequitur caduera. Sanguis uenustior, pulchrior: Tinct, colorabit, unde dicti tinctores. Cute amœna, id est, quae infectio faciet cutem hilarem. Senectus inuida, id est, quae nobis inuidens cito uenit, unde Gallus, Æmula quid cessas finem properare senectus? Decus frontis, id est, pulchritudinem faciei. Macies sicca, sicut e contrario corpulentia, succi plena. Succo adeso, id est, consumpto ab ædendo. Morbus pestifer, quasi de deo morborum præside dicit, de quibus Vergilius in sexto, Pallentesque habitant morbi tristisque senectus. Resudans sua tormenta, id est, qui nos torquet & sudare cogit. Lucet inter uincula, id est, regnat inter nos impediens operationes membrorum. Caro uictrix, id est, corpora nostra iam glori

AVRELI PRVDENTII

glorificata & uoti sui compos, aut quæ uicit mundum. Gementem, quasi deum (ut dixi) more poetico illum fingit. Quid turba, inuehitur in eos qui mortuos lugent: quoniam uidentur de resurrectione desperare. Clangens, claudens, aut ad tubarum clangorem retulit, quibus in funeribus utebantur. Vergilius, Insequitur clamorque uirum clangorque tubarum. Condit a iura, id est, leges à deo & natura bene & iuste latis. Sua pignora, suos filios. Reparatio uitæ, quia per hanc mortem itur ad illam uitam. Sic semina sicca: 10 annis cap. xij. Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit. Meditantur, aut imitantur, imò uero referunt. Nunc suscipe, terram alloquitur quasi defuncti matrem. Membra nominis, id est, partem minimam totius, quæ retinet tantum nomen, ut dicatur: Hic est sepultus Antonius, aut Ioannes, Sequestro, id est, ad tempus depono. Fragmina, id est, frustra & partem. Generosa, quia fuit (ut statim dicit) habitaculum animæ. Ab ore factoris, qui spirauit in hominem spiraculum uitæ. Sapientia feruens, quia sapuit & uiguit, unde & illa dicuntur feruere quæ frequentantur, ut Vergilius primo Æneidos, Feruet opus. Sicut e contrario frigere quæ torpescunt. In istis, subaudi membris. Principio Christo, qui fuit Christianus, & in baptismo accepit salem sapientiæ. Tu, ò terra, Tege depositum, quod summa fide reddendum est. Ille fictor, id est, deus hominis plasmator: nam fictor dicitur, qui ex luto format fictilia. Requiret sua munera, id est, suum opus in die resurrectionis omnium hominum. Et ænigmata proprii uultus, id est, figuram ad imaginem suam factam, quid si legas schemata? Tempora iusta, quæ pater posuit in potestate sua. Impleat omnem spem, id est, resurrectionem quam speramus & expectamus, ut in symbolo canimus. Patefacta, id est, tu ò terra aperta. Qualem trado, id est, non solum quantum ad corporis lineamenta, sed etiam quantum ad qualitates, modò nõ sint ad imperfectionem. Non si, sensus est, quòd etiam si homo dilapsus fuerit in cineres,

res,

res, & cinis ipse dissipatur, non tamen neque capitis capillus ex eo peribit, ut scribitur. Fauillis, id est, fauillas. Cinisculus arens, quod proprium cineris est: unde & plurimum humoris bibit. Vergilius sexto Aeneidos, Postquam collapsi cineres & flamma quieuit, Reliquias uino & bibulam lauere fauillam. Mensura pugilli, id est, quem possit capere pugillus. Vaga flamma, id est, uenti. Sed dum, id est, inter diem mortis & diem iudicij. Animam puram, peccatis non inquinatam. Gremio sancti senis, id est, in sinu Abraham. Vbi est Eleazar, id est, Lazarus, de quo in Euangelio: & Eleazar nomen est integrum, à quo est abscissus Lazarus. Floribus septum, alludit ad paradisi, hoc est, horti nomen. Diaes, qui induebatur purpura & bysso. Morte atra, id est, de morte. Socium crucis: id est, qui etiam in cruce passus est tecum: cum illi dixisti. Hodie mecum eris in paradiso. Patet ecce, ex eo tempore. Illud precor, quid si legas, illic precor. In sede genitalem id est, unde duxit originem. Exul, propter peccatum impulsus. Nos, uiui scilicet colemus ossa defunctorum: Violis, quod hodie faciunt Mahumetis sectatores.

HYMNVS OCTAVO KALENDARAS IANVARIAS.

Carmen Iambicum, dimetrum, Acatalecticum, recipiens locis imparibus spondeum & nonnunquam Anapastum: paribus uero Iambum, hoc modo:

v - v - - - v -

Quid est quod arctum circum
 Sol iam recurrens deserit?
 Christus ne terris nascitur,
 Qui lucis auget tramitem?
 Heu quàm fugacem gratiam
 Festina uolebat dies,
 Quàm penè subductam facem
 Sensim recisa extinxerat.

Cæ

AVRELII PRVDENTII

Cœlum nitescat lætius,
 Grates & gaudens humus,
 Scandit gradatim denuo
 Iubar priores lineas.

Emerge dulcis pufio,
 Quem matris ædit castitas,
 Parens & expers coniugis,
 Mediator, & duplex genus.

Ex ore quamlibet patris
 Sis ortus, & verbo æditus,
 Tamen paterno in pectore
 Sophia calcas prius.

Quæ prompta cœlum condidit,
 Cœlum, diemq; & cætera,
 Virtute verbi effecta sunt
 Hæc cuncta: nam verbum Deus.

Sed ordinatis sæculis,
 Rerumq; digesto statu,
 Fundator ipse & artifex
 Permanfit in patris sinu:

Donec rotata annalium
 Transuoluerentur millia,
 Atque ipse peccantem diu
 Dignatus orbem viferet.

Nam cæca vis mortalium
 Venerans inanes nãnias,
 Vel æra, vel saxa algida,
 Vel ligna credebat Deum.

Hæc dum sequuntur, perfidi
 Prædonis in ius venerant,
 Et mancipatum fumido
 Vitam barathro immerferant.

Stragem sed istam non tulit
 Christus cadentum gentium
 Impunè, ne forsan sui
 Patris periret fabrica.

Mortis

Mortale corpus induit,
 Ut excitato corpore
 Mortis catenam frangeret,
 Hominemq; portaret patri.
 Hic ille natalis dies,
 Quo te creator arduus
 Spirauit, & limo indidit,
 Sermone carnem glutinans.
 Sentis'ne virgo nobilis,
 Matura per fastidia
 Pudoris intactum decus
 Honore partus crescere?
 O quanta rerum gaudia
 Aluus pudica continet,
 Ex qua nouellum sæculum
 Procedit, & lux aurea.
 Vagitus ille exordium
 Vernantis orbis prodidit,
 Nam tunc renatus sordidum
 Mundus veternum depulit.
 Sparfisse tellurem reor
 Rus omne densis floribus,
 Ipsasq; harenas Syrtium
 Fragrasse nardo, & nectare.
 Te cuncta nascentem puer
 Sensere dura, & barbara,
 Victusq; saxorum rigor
 Obduxit herbam cotibus.
 Iam mella de scopulis fluunt,
 Iam stillat ilex arido
 Sudans amomum in stipite,
 Iam sunt myricis balsama.
 O sancta præsepis tua
 Eterne rex cunabula,
 Poplisq; per sæclum sacra
 Mutis & ipsis credita.

N

Ad

AVRELII PRUDENTII

Adorat hæc brutum pecus,
Indocta turba scilicet,
Adorat excors natio,
Vis cuius in pastu sita est.

Sed cum fideli spiritu
Concurrat ad præsepia
Pagana gens, & quadrupes,
Sapiatque quod brutum fuit.

Negat patrum profapia,
Perosa præsentem Deum,
Credas venenis ebriam
Furiisve lymphatam rapi.

Quid prona per scelus ruis?
Agnosce, si quicquam tibi
Mentis resedit integræ,
Ducem tuorum principum.

Hunc quem latebræ & obstetrix
Et virgo facta, & cunula,
Et imbecilla infantia,
Regem dederunt gentibus.

Peccator intueberis
Celsum coruscis nubibus,
Deiectus ipse & irritis
Plangens reatum fletibus.

Cum vasta signum buccina
Terris cremandis miserit,
Et scissus axis cardinem
Mundi ruentis soluerit.

Insignis ipse, & præminens
Meritis rependet congrua,
His lucis usum perpetis,
Illis gehennam & tartarum.

Iudæa tunc fulmen crucis
Experta, qui sit senties,
Quem te furoris præfule
Mors hausit, & mox reddidit.

IO. SICH.

Vetus exemplar
non præfule, sed
præsede habebat
quod Prudentio
magis conuenit.

Quid

Quid est quod arctū) Carmen est quale illud, *Ales*
dici nuntius; canitur in die natalis Christi, in quo
multa de utraque illius generatione, hoc est, æterna &
temporali, & de ijs quæ contigerunt circa Christi natus-
lem: quem dicit tandem esse uenturum iudicem bonorum
& malorum. Nam de utroq; eius aduentu ecclesia facit
mentionē eo tempore, atq; addit etiā de quotidiano ad-
uentu per gratiam. Quid est, phantasia est poetæ, qui fin-
git se mirari quid illud est, quod dies qui ante illud tēpus
decreſcebant, nascente Christo incipiunt crescere: ut pos-
ſit commodiſſime aptari qđ de illo Ioannes dixit: Opor-
tet illum crescere, me autem minui. Nam Ioannes natus
eſt ſole peragrante Cancrī principium, quo die incipiūt
dies decreſcere: Chriſtum uero ſatis conſtat natum ſole
intraſte primum punctum Capricornī, quo die incipiunt
dies creſcere. Arctum circulum, id eſt, tropicū capricornī
quem ſole deſcribente relinquit ſupra horizontem mini-
mam portionem, unde dies eſt breuis, de quo Vergil. ij.
Georg. Quid tantū oceano properent ſe tingere ſoles Hy-
berni. Sol recurrens. i. retro & uerſus nos currens, cum an-
tea procurriſſet à nobis. Deſerit, ſubaudi arctum circulū.
Tramitem lucis. i. facit dies longiores, & incipit indies
minuere tenebras noctis. Feſtima dies. i. quæ breuis erat
iam properabat ad occaſum. q. d. omnia iam propè erant
tenebris inuoluta cum natus eſt Chriſtus. Gratiam fugaz-
cem. i. diem, ab effectu gratioſa omnia faciens, qui tunc
breuis erat. Et recifa. ſ. dies diminuta luce, quā pene ex-
tinxerat: Facem. i. lucem; Subductam ſenſim. i. ſubtractā
paulatim. Iubar, id eſt, Sol, aut lucifer. Verg. iij. Æneid.
It portis iubar exorto delecta iuuentus. Scandit priores
lineas, id eſt, circulos ſiue parallelos contractiores bre-
uioresq;. Puſio, puer, naſcere. Mater caſtitas, per empha-
ſim, hoc eſt, non ſolum caſta ſed ipſa caſtitas. Parens &
ipſe, ſubaudi, qui & filius & pater matris. Nam quod
legitur, parens & Chriſtus coniugis, non poteſt uerſus
ſtare; coniugis uero pro æternus cum patre, à con. et in:

AVRELII PRUDENTII

gis in ge compositum. Mediator, dei scilicet & hominis, q
 Græce dicitur mesotes. Et duplex genus, id est, ex duplici
 natura constans. s. humana et diuina. Ex ore, significantius
 supra ex corde uerbum fuisse genitum dixit, quam nunc
 ex ore: sed hæ translationes in diuinis recipiuntur. Et uer
 bo æditus, imò uerbum æditum, ut supra dixit, uerbige
 na. In pectore, id est, in corde sicut supra. Sophia, sapien
 tia, & produxit penultimam cum sit breuis. Callebas, id
 est, eras sapiens, nã illud est callere. Quæ scilicet Sophia,
 Prompta, id est, ex corde patris ædita. Condidit, quia per
 illum pater omnia condidit. Iuxta illud Psal. xxij. Verbo
 domini cæli firmati sunt. Verbum deus. Io ann. primo: Et
 deus erat uerbum. Ordinatis seculis, id est, mundi series
 ex qua dependent secula. Digesto, id est, rebus in suo loco
 dispositis. Fundatur ipse, scilicet, rerum status. Artifex,
 scilicet, patris uerbum eiusdemque filius. In sinu, ut supra
 in corde siue in pectore, hoc est, in parte. Iuxta illud, Ne
 scis quòd ego in patre & pater in me est? Annalium, pro
 annorum, cum sint annales historiæ per annos singulos
 digesta. Nam cæca, hæc causa est cur uenit, quia ignoras
 bant mortales uerum dei cultum. Nanius, id est, res ina
 nes quales sunt naniæ muliercularũ. Ara, statuas æreas.
 In ius, in potestatem. Lucanus, iusque datum sceleri. Man
 cipatam, obnoxiam & subiectam. Impunè, quia ultus est
 uicem humanam spoliando inferos, & uindicando nos à
 potestate diaboli. Fabrica patris, homo factus ad illius
 imaginem. Excitato corpori, id est, ascito & assumpto.
 Hic ille natalis, Christum alloquitur dicens: Hic est ille
 natalis dies: in quo pater, Arduus creator, id est, sum
 mus pater, Spirauit te, progeniuit te: nam filius genera
 tur, Spiritus sanctus spiratur. Et indidit limo, id est, im
 misit in carnem humanam ex limo compactam. Glutians
 carnem sermone, id est, hominem uerbo coniungens: sed
 illud non est factum die in quo natus est, sed in instanti
 conceptionis: autor tamen alludit ad illud psalmi secundi,
 Dominus dixit ad me, filius meus es tu, Et ego hodie ge
 nu

hui te. Per fastidia, non quòd uirgini contigerint, quæ
 prægnantibus solent: de quibus dixit Vergil. in Bucolicis:
 Matri longa decem tulerint fastidia menses. sed loqui-
 tur ex more aliarum foeminarum, sicut quod dicitur, Eni-
 xa est puerpera: Et alibi, Enixa puerpera regem: non
 quòd in partu fuerit ille nixus cum dolorib. q. alijs foemi-
 nis contingit: sed quòd salua integritate peperit quemad-
 modum Et ceteræ mulieres. Decus pudoris, id est, uirgi-
 nitatis intactæ. Crescere honore partus, id est, Christi na-
 ti, quasi dicat, non solum uirginitas permansit eadem quæ
 prius, sed etiam aucta est honore, quoniam uirgo Et ma-
 ter. Quanta gaudia scilicet non solum matris, sed omnium
 mortalium. Nouellum seculum, quia omnia renouata sunt
 iuxta illud Esaiæ. xliij. Ecce ego noua facio omnia, Et
 nunc orientur. Et Verg. in Bucol. Toto surget gens aurea
 mundo. Vagitus ille, scilicet qui in reliquis mortalibus est
 auspiciu futuræ calamitatis: in Christo fuit exordiu
 orbis uernatis, i. renascentis. Plin. lib. 7. in principio. Nam
 illud significat uernare, quoniam flos ætatis Veri assimila-
 tur: unde subdit, mundus depulit ueternū pro uetustatem,
 alioqui ueternus est torpor qui contingit hydrope labo-
 rantibus: unde Verg. lib. i. Georg. Nec torpore graui pas-
 sus sua regna ueterno. Floribus, æmulatio est Vergiliana
 in Bucolicis, At tibi prima puer nullo munuscula cultu,
 Florentes hederas passim cum baccare tellus, Primaque
 ridenti colocasia fundet acantho. Et infra: Ipsa tibi blan-
 dos fundent cunabula flores. syrtium harenas. Syrtes in
 Aphrica, loca ab ipsa natura (ut ait Lucanus lib. 9.) ad-
 sterilitatem damnata, tunc factæ sunt fertiles. Fragrasse,
 id est, odorem spirasse, ut Vergilius, Redolentque thymo
 fragrantia mella. Sensere, quia mollia sunt Et rigorem
 deposuerunt. Obduxit herbam cotibus, id est, textit cotes
 herbis. Vergil. in Bucolicis, Obducat pascua iunco. Sudans
 anomum, ad illud Vergilij respicit: Assyrium uulgo nas-
 cetur anomum. Myricis, Et hoc ad illud, Piignia corti-
 cibus sudent electra myricæ. Mutis Et ipsis credita, quia

AVRELII PRVDENTII

etiam ipsa animalia muta crediderunt in præsepibus illis iacere Christum Deum & hominẽ, unde subdit: Adorant hæc. &c. Quod autem dicitur bouem & asinum fuisse in præsepi alligatos, non dicit Euangelista: sed sumptum est ex eo quod scribitur Luc. cap. ij. quod mater reclinauit infantem recens natum in præsepio: & ex eo quod legitur Esa. i. Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe domini sui. Excors natio, quæ per asinum intelligitur & bouem. In pastu, quia nihil habet rationis, sed causa ventris mouetur. Sed cum, sensus est, quod Pagani, hoc est, Magi qui erant Persæ, uenerunt adoraturi Christum: & quadrupedes etiam cognouerunt possessorem suum. sed profapia patrũ .i. posteritas patriarcharũ, Perosa Deum præsentem, quia in Bethleem natus est. q. d. in media Iudæa. Ebriam uenenis .i. quasi ueneficio mentem alienatam habere. Lymphatam .i. furiosam, tractum à canibus rabie percitis: qui lympham .i. aquam fugiunt, unde à Græcis Hydrophobi uocantur .i. aquam timetes. Resedit .i. remansit, hoc est, si tota non abiisti in insaniam. Ducem principũ. Ex eo quod supra dixit ex autoritate prophetæ, Matt. 5. Ex te (inquit) exiet dux, qui regat populum meum Israel. Obstetrix, Atqui nulla legitur obstetrix interfuisse in ortu Christi: sed ipsa uirgo sibi ipsi obstetricata est. Gentibus, aut peculiariter gentilibus, aut cunctis. Fletibus irritis .i. nihil proficientibus. Buccina, ut Apostolus dicit .i. Cor. 15. Omnes quidem resurgemus in momento in ictu oculi, in nouissima tuba. & .i. Thes. 4. Ipse dominus in tuba Dei descendet de cælo. Scissus axis, non quod mundus solucendus est, sed quod in aliam formam mutandus. Meritis, bonis aut malis. Nam demeritum latine non dicitur pro eo quod opponitur bene merito. Senties, non simpliciter, sed cum maximo dolore. Quem .s. Christum, Mors hausit & reddidit. Quia de eo dixit propheta: Ero mors tua o mors, morsus tuus inferne. & illud quod Ecclesia canit, Qui mortem nostram moriendo destruxit. &c. Te præsule furoris, subaudi, O Iudæa quæ per furorem Christum crucifixisti.

HYM

HYMNVS EPIPHANIE.

Ratio carminis huius conuenit cum superiori.

Q Vicunque Christum quæritis,
Oculos in altum tollite,
Illic licebit visere

Signum perennis gloriæ.

Hæc stella, quæ Solis rotam

Vincit decore, ac lumine,

Venisse terris nunciat

Cum carne terrestri Deum.

Non illa seruit noctibus

Sequuta Lunam menstruam,

Sed sola cælum possidens,

Cursum dierum temperat.

Arctoa quanuis sydera

Inse retortis motibus

Obire nolint, attamen

Plerunque sub nimbis latent.

Hoc sydus æternum manet,

Hæc stella nunquam mergitur,

Nec nubis occursum abdit.

Obumbrat obductam facem.

Tristis comera intercidat,

Etsi quod astrum Sirio

Feruere vapore, iam Dei

Sub luce destructum cadat.

En Perfici ex orbis sinu,

Sol vnde sumit ianuam,

Cemunt periti interpretes

Regale vexillum Magi.

Quod vt refulsit, cæteri

Cessere signorum globi,

Nec pulcher est ausus suam

Conferre *formam lucifer.

*flammam

Quis iste tantus, inquit,

Regnator, astris imperans,

N,iii.

Quem

Quem sic tremunt cœlestia,

Cui lux, & æthra inserviunt?

Illustre quiddam cernimus,

Quod nesciat finem pati,

Sublime, celsum, interminum,

Antiquius cœlo, & Chao.

Hic ille rex est gentium,

Populiq; rex Iudaici,

Promissus Abrahæ patri,

Eiusq; in æuum semini.

Æquanda nam stellis sua

Cognouit olim germina,

Primus sator credentium,

Nati immolator vnici.

Iam flos subit Dauidicus

Radice Iesæa æditus,

Sceptriq; per virgam virens,

Rerum cacumen occupat.

Exin sequuntur perciti

Fixis in altum vultibus,

Qua stella sulcum traxerat,

Claramq; signabat viam.

Sed verticem pueri supra

Signum pependit imminens,

Pronaq; submissum face

Caput sacratum prodidit.

Videre quod postquam Magi,

Eoa promunt munera,

Stratiq; votis offerunt

Thus, myrrham, & aurum regium,

Agnosce clara insignia

Virtutis, ac regni tui

Puer ô, cui trinam pater

Prædestinavit indolem.

Regem, deumq; adnunciant,

Thesaurus, & flagrans odor

Thu

Thuris Sabæi, ac myrrheus

Puluis sepulchrum prædocet.

Hoc est sepulchrum, quo Deus

Dum corpus extingui finit,

Atque id sepultum suscitavit,

Mortis refregit carcerem.

O sola magnarum urbium

Maior Bethlem, cui contigit

Ducem salutis cœlitus

Incorporatum gignere.

Altrice te summo patri

Hæres creator vnicus,

Homo ex tonantis spiritu,

Idemq; sub membris Deus.

Hunc & prophetis testibus,

Iisdemq; signatoribus,

Testator, & sator iubet

Adire regnum, & cernere.

Regnum quod ambit omnia

Dia, & marina, & terrea

A Solis ortu ad exitum,

Et tartara, & cœlum supra.

Audit tyrannus anxius

Adesse regum principem,

Qui nomen Israël regat,

Teneatq; David regiam.

Exclamat amens nuncio,

Successor instat, pellimur,

Satelles i, ferrum rape,

Perfunde cunas sanguine.

Mas omnis infans occidat,

Scrutare nutricum sinus,

Interq; materna vbera

Ensem cruentet pugio.

Suspecta per Bethlem mihi

Puerperarum est omnium

Fraus,

Fraus, nequa furtim subtrahat
Prolem virilis indolis.

Transfigit ergo carnifex
Mucrone districto furens
Effusa nuper corpora,
Animasq; rimatur nouas.

Locum minutis artubus
Vix interemptor inuenit,
Quo plaga descendat patens,
Iuguloq; maior pugio est.

O barbarum spectaculum,
Illisa ceruix cautibus
Spargit cerebrum lacteum,
Oculosq; per vulnus vomit.

Aut in profundum palpitans,
Mersatur infans gurgitem,
Cui subter arctis faucibus,
Singulat vnda & halitus.

Saluete flores martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.

Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipsam simplices
Palma & coronis luditis.

Quid proficit tantum nefas?
Quid crimen Herodem iuuat?
Vnus tot inter funera
Impune Christus tollitur.

Inter coæui sanguinis
Fluenta, solus integer
Ferrum, quod orbabat nurus,
Partus fefellit virginis.

Sic stulta Pharaonis mali
Edicta quondam fugerat,

Chri

Christi figuram præferens

Moses, receptor ciuium.

Cautum & statutum iusserat,

Quo non liceret matribus

Cum pondus alui absolueret,

Puerile pignus tollere.

Mens obstetricis fedulæ

Piè in tyrannum contumax,

Ad spem potentis gloriæ

Furata seruat paruulum.

Quem mox sacerdotem sibi

Assumpsit orbis conditor,

Per quem notatam faxeis

Legem tabellis traderet.

Licèt ne Christum noscere

Tanti per exemplum viri?

Dux ille cæso Ægyptio

Absoluit Israel iugo.

At nos subactos iugiter

Erroris imperio graui,

Dux noster hoste saucio

Mortis tenebris liberat.

Hic expiatam fluctibus

Plebem marino in transitu

Repurgat vndis dulcibus,

Lucis columnam præferens.

Hic præliante exercitu,

Passis in altum brachiis,

Sublimis Amalech premit

Crucis quod instar tunc fuit.

Hic nempe Iesus verior,

Qui longa post dispendia,

Victor suis tribulibus

Promissia soluit iugera:

Qui ter, quaternas denique

Refluentis amnis alueo

Fua

Fundavit, & fixit petras,
Apostolorum stemmata.

Iure ergo se Iudæ ducem
Vidisse testantur Magi,
Cum facta priscorum ducum
Christi figuram pinxerint.

Hic rex priorum iudicum,
Rexere qui Iacob genus,
Dominæq; rex ecclesiæ,
Templi & nouelli, & pristini.

Hunc posteri Effraim colunt,
Hunc sancta Manasse domus,
Omnesq; suspiciunt tribus
Bissena fratrum semina.

Quin & propago deneger
Ritum sequuta inconditum,
Quæcunque dirum feruidis
Baal caminis coxerat.

Fumosa auorum numina
Saxum, metallum, stipitem
Rasum, dolatum, sectile,
In Christi honorem deserit.

Gaudete quicquid gentium est,
Iudæa, Roma, & Græcia,
Ægypte, Thrax, Persa, & Scythia,
Rex vnus omnes possidet.

Laudate vestrum principem
Omnes beati, ac perditum,
Viui, imbecilli, ac mortui,
Iam nemo posthac mortuus.

Q vicunque Christū) Carmē est quale illud Ales diei,
& superior. Canendū est in festo Epiphania. Mul-
ta in laudem stellæ dicit: ex qua Magi cognouere Chris-
stum esse natum, & qua duce ut illum adorarent in Beth-
leem uenerunt: quem locum laudibus effert, quod fue-
rit Christi genitale solum: deinde infantium occisionem

prosequitur. Et Christum in Mose dicit fuisse figuratum: ponitque utriusque multas conuenientias. Et tandem oēs ad Christi laudes hortatur indifferenter. Quæritis, sicut Magi quærebant. Signum, scilicet, stellam: Gloriæ perennis. i. Christi qui est gloria patris. Rotam Solis. i. curram. Secuta lunam. i. cursum noctis, cui luna præest: nam ad hoc creata est, ut præesset nocti, & quemadmodum luna sequitur solem, ita & illam stellam. Arctoa sydera. i. duæ Arcti, hoc est, maior & minor. Motibus retortis, quia rotantur circa polum mundi. Obire nolunt, id est, occidere: unde & obitus stellarum saepe pro occasu illarum ponitur, stellæ autem illæ siue constellationes nunquam occidunt nobis: sed quanuis non occidant, tamen per diem non uidentur, subtrahente illa solis luce: & per noctem aliquando non apparent, quia subducuntur nubibus: stella autem Christi index & per diem & per noctem semper lucebat. Aeternum, nomen pro aduerbio, sed hic non proprie ponitur, sed pro perpetuo, dum ea fuit opus: nam postea in ea est resoluta ex quibus fuit composita elementis, nunquam mergitur sicut aliæ stellæ. Obductam facem. i. splendorem. Tristis cometa, quia triste aliquid semper immatur cum apparet. Intercidat, id est, pereat siue cedat. Sirius uapo. Sirius stella est in ore Canis pestilens, de qua Vergil. 3. Aeneidos, Tunc steriles exurere Sirius agros. Sub luce dei, id est, stella quæ deum natum demonstrat. Magi Persici, nam Magi & nomen est patriæ & nomen professionis. Sunt enim Magi Persarum populi arti magicæ deditissimi. Vexillum, signum quasi uexillum. Cæteri globi, quia ut Mathematici probant, stellæ globosæ siue sphericæ sunt. Lucifer pulcher, quem (ut Vergilius inquit) Venus ante alios astrorum diligit ignes. Et Aristoteles. 5. Ethicorum, Neque Lucifer neque Hesperus ita admirabilis ut est iustitia, quam luci pulcherrime comparat. Lux & æthra, idem prope significant, nam æthra splendor ætheris est. Vergilius. iij. Aeneidos, Et lucidus æthra sydereæ polus. Cernimus illustre. i. stellam quæ designat Deum

immortalem. Et Chaos, ex quo Anaxagoras dixit Deum
 cuncta creasse. Eius semini, id est, posteritati, cum dixit
 illi Deus: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Sua
 germina, id est, suos nepotes. Equanda stellis, ex Genesi
 capite decimo quinto. Suspice cœlum, & numera stellas
 si potes, sic erit semen tuum. & c. Primus sator creden-
 tium, id est, qui primus Deo credidit. Radice Iesse, ex eo
 quod scribitur Esaiæ. cap. xi. Egredietur uigra de radice
 Iesse. Stella sulcum traxerat. Verg. ij. Æneid. Tum longo
 limite sulcus dat lucem. Signum. i. stella. Prona face, id est
 splendore stellæ submisso. Prodidit, ostendit. Aurum re-
 gium. i. coronarium & quod regibus offertur. Indolem tri-
 nam, id est, tria insignia futuræ uirtutis tuæ: nam signum
 est indoles futuræ probitatis, nam Christus homo, deus,
 rex, & mortalis erat. Maior magnarum urbium. i. maxi-
 ma, ut sit comparatiuum pro superlatiuo, ex eo quod scri-
 bitur Micheæ. v. & citatur ab Euangelista Matt. ij. Tu
 Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iudæ, ex te mi-
 hi egredietur qui sit dominator in Israel. Incorporatum
 cœlitus, id est, humanatum (ut dicunt Græci) à spiritu
 sancto. Te altrice, te procreante. Hunc & prophetis, or-
 do est, Testator, id est, deus pater, qui testimonium filio
 perhibuit, dicens, Hic est filius meus dilectus & c. Et sator
 id est genitor, iubet hunc, id est, Christum, Adire regnū,
 iuxta illud. Mar. ult. Mihi data est omnis potestas in cœ-
 lo & in terra. Et cernere, id est, discernere & iudicare,
 ex eo quod scribitur Iohann. v. Pater omne iudicium de-
 dit filio. Prophetis testibus & signatoribus, ad illud al-
 ludit quod testes qui adhibebantur testamento signabant
 illud. Iuuenal. Me prior ille signabit. Dia, aërea, unde &
 sub dio & sub Ioue dicimus aliquid fieri, id est, sub aëre
 uel sub cœlo & non sub tectō. Ad exitum, id est, occasum
 quā parte Sol exit à nobis, hoc est, à nostro hemispherio.
 Tartara & cœlum. nam eo usque regnum Christi pene-
 trat, dicente Apostolo ad Philip. cap. ij. Ut in nomine Ie-
 su omne genu flectatur cœlestium terrestrium & inferno-
 rum

rum. Nomen israel, id est, populum Iudaicum, ut diximus ex Michea. Ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israel. Amens Herodes, prorumpit in exclamationem: dicens, ego nuncio uobis de Iudæi. Successor, in regno. Pellimur scilicet ex regno. Pufio puer, & sunt casus singulares pro pluralibus figurate, usitata etiam in sacris literis, ut Exod. 8. Venit musca grauiissima in domos. Per Bethleem, unde Christus erat oriturus, q. d. & si in Bethleem natus est quem ego timeo mihi successurum, tutius tamen est ut omnes pueri adimantur & infra bimatum pereant. Districtio mucrone, id est, euaginato ense. Nuper effusa, id est, paulo antè parta. Rimatur. i. quasi per rimas eruit & extrahit. Animas nouas. i. nuper in corpora infusas. Minutis artibus, qui ad eò erant parui, ut uix esset locus uulneri. Iugulo. i. parte colli anteriori qua erat iugulandus. O barbarum. i. de crudele spectaculum. Cerebrum lacteum, id est, lactantium infantium. Vomit oculos, id est, reiecit. Artibus faucibus, per quas spiramus & respiramus. Vnda & halitus singultat, quia loco halitus succedebat aqua ex quo necesse erat singultus fieri. Flores martyrum, id est, primitiæ. In limine lucis, id est, introitu uitæ. Verg. lib. 6. Continuo auditæ uoces, uagitus & ingens, Infantumque animæ flentes in limine primo, & c. Turbo, tempestas. Palma & coronis, quibus uictores donabantur. Inter coeui, ordo est, Solus partus uirginis integer fefellit ferrum, id est, frustratus est. Inter fluentia, id est, fluctus sanguinis. Coeui. i. eiusdem ætatis. Sic stulta, hoc figuratum fuisse dicit in Mose, qui (ut scribitur Exodi capite secundo) & filia Pharaonis educatus est: cum rex præcepisset quicquid masculini sexus natum esset, in flumen proijci. Moses receptor, id est, assertor siue recuperator ex Aegypia seruitute. Mens obstetricis, aut mater Mosis quæ pariens sibi ipsi obstetricata est, aut alicuius obstetricis quæ noluit prodere Pharaoni ortum pueri, ut Exodi capitulo primo legitur. Mens obstetricis sedulæ, id est, obstetrix sedulæ mentis. Contumax in tyrannum, id est, non obediens

AVRELII PRVDENTII

diens illi, quod fuit pietatis opus. Ad spem gloriae potentis, id est, qui seruabatur ut per illum fieret dei mirabilia, sacerdotem, qui res diuinas tractaret, & per quem populo legem daret, alioqui Aaron peculiaris erat dei sacerdos. Caso Aegyptio, de quo Exodi, cap. ij. Vidit, inquit, Moses uirum Aegyptium percutientem quendam de Hebraeis fratribus suis, quem percussum abscondit in sabulo. Absoluit iugo, id est, expediuit ex Aegyptia seruitute. Hoste saucio, id est, diabolo uicto. Hic expiatam, scilicet, Moses qui populum per mare rubrum traiecit: per quod significabatur Christi baptisma, quod in dulcibus Iordanis aquis est postea consecratum. Praeferens columnam lucis, de qua luce Esaiæ. cap. ix. Populus qui ambulabat in tenebris, uidit lucem magnam: & alludit ad columnam quae praecedebat Hebraeos Exodi. xij. & xxxij. Hic praeliante, Exo. cap. xvii. legitur, quod Israel pugnante contra Amalech in Raphidim, cum leuaret Moses manus, uincebat Israel: sin autem paululum remisisset, superabat Amalech. quod significabat Christum, qui expansis brachijs in cruce reportaturus erat uictoriam suis. Verior Iesus, id est, saluator, quia & alij saluatores populi dicebantur, sicut Iosue qui aequè dicebatur saluator, sed illic à seruitute corporis, hic à seruitute animi liberauit. Post longa dispensa, id est, multos annos tandè peperit ueram libertatem, suis tribulibus, quia uenit ad saluandos qui perierant de domo, uel qui erant ex gente sua, siue tribu: nam tribules dicuntur ex eadem tribu. Iugera promissa, id est, terram promissionis, quod Iosue fecit, ut in libro Iosue legimus: sed per terram promissionis nos terram uiuentium intelligimus, hoc est uitam aeternam. Qui ter quater. i. duodecim lapides, quos Iosue iussit poni in medio Iordanis cum traiecit flumen, de quo Iosue cap. iij. per quos designantur duodecim Apostolorum nomina, stemmata, quia omnis ecclesiae nobilitas inde emanauit. Iure ergo. i. meritò, Magi intellexerunt illum esse regem mundi, cum uideret omnia quae dicta & facta sunt per prophetas in illo compleri.

Rex

Rex iudicum, Rex regum et Dominus dominantium. Templi nouelli, id est, ecclesie & synagoga. Effraim, literaturam sequitur graecam, cum ab Hebraeis Ephraim dicatur. Ephraim & Manasse filij Ioseph, quibus Iacob portiones aequas iussit distribui cum reliquis filiis suis: qui erant duodecim, ut legitur Gen. xlix. Suspiciunt, id est, uenerantur, sicut e contrario despiciunt pro contemnunt. Quin & propago, non solum Iacob posteritas Christum colit, sed & gentes, qui colebant Idola, cesserunt illi. Ratum inconditum, id est, religionem falsam daemorum propago illa deserit. Quaecunque coxerat durum, i. metallum aliquod in effigiem idoli conflauerat in caminis feruidis. Baal, id est, honorem & cultum daemorum. Numina fumosa, id est, statuas antiquas. Iuuenalis, Fumosos equitum cum dictatore magistros. Iudaea, Roma, totum orbem intelligit per has nationes. Laudate, omne genus hominum ad Christi laudem inuitat. Nemo post hac mortuus, i. cui omnia uiuunt, ut canit ecclesia. Cathem. finis.

A VRELI PRVDENTII,
CL. VIRI CONSULARIS,

πρωτερον, id est, de coronis.

HVMNVS IN HONOREM SAN-
ctorum Martyrum Hemeterij & Ch-
ledonij Calaguritanorum.

Carminis ratio eiusmodi est qualis hymni omnium horarum

Da puer plectrum. - v - - - v - - v - - v

Scripta sunt caelo duorum
 Martyrum uocabula,
 Aureis quae Christus illic
 Annotauit literis.

Sanguinis notis eadem
 Scripta terris tradidit.

Polllet hoc felix per orbem

Terra Hibera stemmate,



Hic

AVRELII PRVDENTII

Hic locus dignus tenendis
 Offibus visus Deo,
 Qui beatorum pudicus
 Esset hospes corporum.

Hic calentes hausit vndas
 Cæde tinctus duplici,
 Illitas cruore sancto
 Nunc arenas incolæ

Confrequentant obsecrantes
 Voce, votis, munere:
 Exteri nec non & orbis
 Huc colonus aduenit.

Fama nam terras in omnes
 Præcurrit proditrix,
 Hic patronos esse mundi
 Quos precantes ambient.

Nemo puras hic rogando
 Frustra congestit preces,
 Lætus hinc tersis reuertit
 Supplicator fletibus,

Omne quod iustum poposcit
 Impetratum sentiens.
 Tanta pro nostris periculis
 Cura suffragantium est.

Non finant, inane vt vllus
 Voce murmur fuderit,
 Audiunt, statimq; ad aurem
 Regis æterni ferunt.

Inde larga fonte ab ipso
 Dona terris influunt,
 Supplicum causas petitis
 Quæ medelis irrigant.

Nil suis bonus negauit
 Christus vnquam testibus,
 Testibus, quos nec catenæ,
 Dira nec mors terruit.

Vnicum

Vnicum Deum fateri

Sanguinis dispendio,

Sanguinis sed tale damnum

Lux rependit longior.

Hoc genus mortis decorum est,

Hoc probis dignum viris,

Membra morbis exedenda

Texta venis languidis,

Hostico donare ferro,

Morte & hostem vincere,

Pulchra res, ictum sub ense

Persequutoris pati.

Nobilis per vulnus amplum

Porta iustis panditur,

Lota mens in fonte rubro

Sede cordis exilit.

Nec rudem crudi laboris

Ante viam duxerant

Milites, quos ad perenne

Cingulum Christus vocat.

Sueta virtus bello & armis

Militat sacrariis,

Cæsaris vexilla relinquunt,

Eligunt signum crucis.

Proq; ventosis draconum

Quod gerebant palliis,

Præferunt insigne lignum,

Quod draconem subdidit.

Vile censent expeditis

Ferre dextris spicula,

Machinis murum ferire,

Cæstra fossis cingere.

Impias manus cruentis

Inquinare stragibus,

Forte tunc atrox secundos

Israëlis posteros

Q.ii.

Du

AVRELI PRVDENTII

Ductor aulae mundialis
Ire ad aram iusserat,
Idolis litare nigris,
Esse Christi refugas.
Liberam succincta ferro
Pestis vrgebat fidem.
Illa virgas, & secures
Et bifulcas vngulas
Vltro fortis expetebat,
Christi amore interrita,
Carcer inligata duris
Colla baccis impedit.
Barbaras forum per omne
Tortor exercet manus,
Veritas crimen putatur,
Vox fidelis plectitur.
Tunc & ense caesa virtus
Triste percussit solum,
Et rogis ingesta mœstis,
Ore flammam sorbuit.
Dulce tunc iustis cremari,
Dulce ferrum perpeti,
Hic duorum chara fratrum
Conualescunt pectora
Fida, quos per omne tempus
Iunxerat sodalitas:
Stant parati ferre, quicquid
Sors tulisset vltima.
Seu foret præbenda ceruix
Ad bipennem publicam,
Verberum post vim crepantum
Post catastas igneas,
Siue pardis offerendum
Pectus, aut leonibus,
Nos ne Christo procreati
Mammonæ dicabimur?

Et

Et Dei formam gerentes

Seruiemus saeculo?

Absit vt caelestis ignis

Se tenebris misceat.

Sit fatis quod capta primo

Vita sub chirographo,

Debitum persoluit omne,

Functa rebus Caesaris.

Tempus est Deo rependi

Quicquid est proprium Deis.

Ite signorum magistri,

Et vos tribuni absistite.

Aureos auferte torques

Sauciorum praemia,

Clara nos hinc angelorum

Iam vocant stipendia.

Christus illic candidatis

Praesidet cohortibus,

Et throno regnans ab alto,

Damnat infames deos.

Vosq; qui ridenda vobis

Monstra diuos fingitis,

Hac loquentes obruuntur.

Mille poenis martyres.

Nexibus manus vtrasque

Flexus inuoluit rigor,

Et chalybs attrita colla

Grauibus ambit ciclis.

O verustatis silentis

Obsoleta obliuio,

Inuidentur ista nobis,

Fama & ipsa extinguitur.

Chartulas blasphemus olim

Nam satelles abstulit,

Ne tenacibus libellis

Erudita secula

AVRELII PRVDENTII

Ordinem, tempus, modumque
 Passionis proditum
 Dulcibus linguis per aures
 Posterorum spargerent.

Hoc tamen solum vetusta
 Subtrahunt silentia,
 Iugibus longum catenis,
 An capillum pauerint.

Quo viros dolore tortor,
 Quave pœna ornauerit,
 Illa laus occulta non est,
 Nec senescit tempore.

Missa quod fursum per auras
 Euolarunt munera,
 Quæ viam patere cœli
 Præmicando ostenderent.

Illius fidem figurans,
 Nube fertur anulus,
 Hic sui dat pignus oris,
 Vt ferunt, orarium.

Quæ superno rapta flatu
 Lucis intrant intimum,
 Per poli liquentis axem
 Fulgor auri absconditur.

Ac diu visum sequacem
 Textilis candor fugit.
 Subuehuntur vsque in astra,
 Nec videntur amplius.

Vidit hoc conuentus adstans,
 Ipse vidit carnifex,
 Et manum repressit harens
 Ac stupore oppalluit.

Sed tamen peregit ictum,
 Ne periret gloria.
 Iam ne credis bruta quondam
 Vasconum gentilitas,

Quam

Quàm sacrum crudelis error
 Immolarit sanguinem?
 Credis in Deum relatos
 Hostiarum spiritus?
 Cerne quàm palàm feroces
 Hic domantur dæmones,
 Qui lupino capta ritu
 Deorant præcordia:
 Strangulant mentes & ipsas,
 Scq; miscent sensibus,
 Tunc suo iam plenus hoste
 Siftitur furens homo.
 Spumeas efflans saliuas,
 Cruda torquens lumina,
 Expiandus quæstione
 Non suorum criminum.
 Audias, nec tortor adstat,
 Eiularus flebiles.
 Scinditur per flagra corpus,
 Nec flagellum cernitur.
 Crescit & suspensus ipse
 Vinculis latentibus,
 His modis spurcum latronem
 Martyrum virtus quatit.
 Hæc coërcet, torquet, vrit,
 Hæc catenas incutit,
 Prædo vexatus relictis
 Se medullis exuit.
 Linqvit illæsam rapinam,
 Faucibus siccis fugit,
 Vngue ab imo vsque ad capillum
 Salua reddit omnia.
 Confitens ardere sese,
 Nam gehennæ est incola,
 Quid loquar, purgata longis
 Alba morbis corpora?

AVRELI PRUDENTII

Algidus cum decoloros
 Horror artus concutit,
 Hic tumor vultum relinquit,
 Hic color verus redit.

Hoc bonum Saluator ipse,
 Quo fruamur, præstitit,
 Martyrum cum membra nostro
 Consecrauit oppido.

Sospirant quæ nunc colonos
 Quos Hiberus alluit.
 State nunc hymnistæ matres
 Pro receptis paruulis.

Coniugum salute læta
 Vox maritarum strepet,
 Sit dies hæc festa nobis,
 Sit sacratum gaudium.

Hos duos martyres Calaguritanos fuisse satis constat ex hymno, cuius initium est, Bis nouem noster: ubi legitur, Calaguris ambos quos ueneramus. Nã quod in quadam historia illorũ legitur fuisse Legionarios, id est, ex Legionẽ ciuitate, ex errore ortum est, quoniam fuerunt milites ex quadam imperatoria legionẽ: uocati sunt autem Emiterius & Chaledonius, siue ut in recentioribus libris legimus, Hemiterius, & Cheledonius, siue Chelidonius. Scripta sunt cælo, ode monocolos, qualis est illa Da puer plectrum: prima pars huius carminis cõtinet laudes martyrum, & loci in quo eorum corpora sunt sepulta, qui mira multorum populorum ueneratione frequentatur propter miracula quæ ibi sunt, deinde ponit ipsorum uitam & martyrium, tum postea redit ad miracula. Cælo, iuxta illud Luc. ca. x. Nomina uestra scripta sunt in cælo. Duorum martyrum quorum non ponit nomina, sicut neq; posuit in hymno duodeuiginti martyrum Cesar augustinorum. Notis sanguinis. i. literis ex sanguine martyris scriptis. Terra Ibera, aut Hispana, quæ à Græcis dicitur Iberia, aut proprie Ibera ubi est Calaguris, unde sunt hi duo marty

*martyres, ut Nostra gestabit Calaguris ambos quos uene-
ramur. Stemmat. i. corona, ut in Romano dicemus, uel pro
nobilitate posuit. Hic locus. s. Calaguris Cæltiberorū urbs.
Pudicus, castus & mundus. Hospes, qui recipit, aliās, qui
recipitur. Calentes undas cæde. i. sanguine duorum marty-
rum effuso. Consequentant, concelebrant. Incolæ Calagu-
ritani. Colonus exteri orbis. i. peregrinus. Fama prodi-
trix. i. manifestatrix, nam prodere est procul dare in hac
significatione. Ambient. i. ambitiose obseruent: sumptum
uerbum ab ijs qui suffragatores affectatur ad obtinendos
magistratus. Puras preces. i. honestas, nam tales esse de-
bent, si uolumus aliquid à deo impetrare, ut etiam Persius
& Iuuenalis dicunt. Tersis fletibus, nam uenerat flens &
redit lætus lachrymis absterfis & exiccatis. Suffragan-
tium, id est, martyrum qui sunt nobis apud deum suffra-
gatores. Non sinant, ordo est, Audiunt, scilicet, preces
supplicum, & statim ferunt preces ad Deum, ut non si-
nant inane, id est, uanum, Murmur, id est, preces, subau-
di, quas ullus fuderit uoce non alta, sed suppressa, iuxta
illud Persii, Murmur humilesque susurros tollere de tem-
plis. Ab ipso fonte, à Deo, quia ut Iacobus in Canonica
scribit. cap. primo, Omne datum optimum, & omne do-
num perfectum desursum est descendens à patre luminū.
Quæ dona, scilicet, à deo profecta, Irrigant causas, id
est, fouent & recreant & sanant morbos, unde causarij
dicuntur ualetudinarij, ut Digestorum libro de re mili-
tari. Causaria missio est quæ propter ualetudinem labo-
ribus militiæ soluit. Suis testibus, id est, martyribus, nam
martyr interpretatur testis. Dispendio sanguinis, id est,
iactura & damno mortis. Lux longior, id est, uita im-
mortalis. Rependit, id est, recompensat. Membra, or-
do est, Donare ferro hostili membra texta & compacta.
Venis languidis, id est, egrotantibus quæ aliās erant con-
sumenda morbis. Nobilis porta, per quam intratur ad
cæli aulam. Fonte rubro, id est, in sanguinis baptisinate
quod est unum de tribus quæ dant testimonium in terris.*

AVRELI PRVDENTII

De sede cordis, quia ex corde exeunt cogitationes. Matt.
cap. 15. Nec rudem. Incipit uitam martyrum narrare, nam
antea quàm militarent Christo, militauerant Casari. Ad
perenne cingulum, Nam antea erant ornati baltheo, id
est, cingulo militari, quod erat insigne militiae, nunc uero
sunt ornati baltheo siue cingulo aternitatis, quod est in-
signe militum Christi. Virtus sueta bello, id est, fortitu-
do exercitata bello seculari. Militat armis sacrarijs, id
est, sacratis, hoc est, Christo. Signum crucis, pro signis &
uexillis Casaris. Pallijs, id est, uelis, siue uexillis & si-
gnis. Ventosis, id est, quæ uento agitantur, uel potius uen-
tosis, id est, uanis & superbis. Draconum, quæ erant insi-
gnia uexillorum cum aquilis, unde signiferi et antesigna-
rij tum aquiliferi, tum draconarij dicebãtur. Vegetius au-
tor est libro primo: Quid, inquit, ipsi draconarij atque
signiferi, qui sinistra manu hastas gubernant. Claudianus
in Epithalamio. Stent bellatrices aquilæ sæuique draco-
nes. Idem de tertio consulato Honorij. Inuolucres tollunt
aquilas, hi picta draconum colla leuant. Insigne lignū, sci-
licet crucis, Quod per Christi passionem, Draconem, id
est, diabolum, qui sub specie serpentis Euam decepit, Vile
censerit, id est, turpe negotium, exercere officia milita-
ria quæ subdit. Forte, ordo est, ductor atrox, id est, cru-
delis princeps. Aulae mundialis, id est, imperij Romani
quod eratulare, ut more religionis nostræ loquamur.
Iusserat posteros Israël, id est, Christianos, qui in locum
filiorum Israel substituti sunt ex gentilibus, ideoq; dixit
secundos, quia primis successerunt. Litare, id est, sacrifi-
care improprie, nam litare, est sacrificio impetrare. Et
iubebat etiam, Esse defugas Christi, id est, perfugas si-
ue transfugas: sunt autem qui se ad hostes in bello trans-
ferunt. Pests succincta ferro, id est, persecutor armatus.
Fidem liberam, quæ facit homines liberos uera liberta-
te, sicut econtrario qui facit peccatum, seruus est peccati.
Illa fortis, scilicet, fides Christianorum. Ungulas bi-
sulcas, id est, bidentatas, Duris baccis, Bacca quod genus
sit

fit uinculi non legi: forte legendum est, boijs: est autem boia genus uinculi, tam lignea q̄ ferrea. Plantus in Asin. Neruos, catenas, carceris numelas, pedicas, boias. Vfus est eodē uocabulo in prologo Psychomachia, dicens: At trita baccis colla liber erigit. Barbaras manus, crudeles. Veritas, id est, Christiana religio. Virtus caesa, id est, fidelis caesus. Solum triste percussit, scilicet, cadens in terram, quod triste spectaculum praebebat. Et ingesta, scilicet, uirtus illa, Focis, quia multi ex martyribus ustulati sunt. Hic duorum, id est, in persecutione illa. Hi duorum, ergo hi duo martyres fratres erant. Ad bipennem publicam, quia consulum & praetorum insignia erant uirgarum & securium fasces. Post uim uerberum .i. post uirgarum uerbera. Crepantum, id est, sonantium, cum plagas inferunt. Post catastas igneas, cum sit catasta carcer ubi uenales serui sunt expositi uenditioni, dicta à catastao, quod est, expono, in uita martyrum ponitur pro quodā genere tormenti siue uinculi, & forte pro igneas legendū est, si igneas. Pardis, sunt mares in genere Pantherarum. Pardi, sicut feminae dicuntur uarie. Nōs ne, uerba sunt martyrum Christo. .i. cultui christiano geniti. Mammona, id est, diabolo, rebusq̄ mundanis. Est autem mammona lingua Syrisca siue Aramaea, pecunia aut diuitia, quarum dominus uidetur esse diabolus, uideturque Poeta alludere ad illud Matth. cap. 6. Non potestis Deo seruire & Mammona. Coelestis ignis. ij. Corinth. 6. Quae participatio lucis ad tenebras? Vita capta, forte legendum, capta. Sub primo christi rographo .i. sub militari sacramento quo eramus addicti prius imperatori. Functa rebus Caesaris .i. officio debito Caesari. Rependi .i. reddi & restitui, iuxta illud Mat. xxij. Reddite quae sunt Caesaris Caesari, & quae Dei Deo. Magistri, signiferi & draconarij. Tribuni scilicet militum, qui erant praefecti legionum. Absistite, id est, discedite. Aureos torques, id est, insignia militaria, quae dantur pro uulneribus in praelio acceptis pro munere. Stipendia, quae dantur militibus, quia nemo militat suis stipendijs. Candidas

AVRELII PRUDENTII

*is, id est, ueste candida induitis: unde & ecclesia canit: Te
 martyrum candidatus laudat exercitus. Rigor & chalybs
 flexus, id est, rigidum ferrum & durum flexum in catenas
 & uincula. Inuoluit, id est, impedit. Grauibus circulis, id
 est, catenarum anulis. O uetustatis, dicit Poëta, quòd mul-
 ta sunt martyres perpeffi, quæ scripta fuerunt de miracu-
 lis, quæ in eorum morte sunt facta: sed oblitterata sunt à
 satellitibus & ministris, ne proderentur in ipsorum con-
 fusionem. Oblitio obsoleta, id est, quæ facit res obsoles-
 cere, & in desuetudinem tendere. Inuidentur nobis, id est
 illi inuiderunt nobis tantam gloriam, ideo concremauc-
 runt scripta. Tenacibus libellis, scilicet, memoriæ rerum
 gestarum. Spargerent, id est, diuulgarent. Iugibus, id est
 non constat quo mortis genere sint affecti, mortui sunt in
 catenis, & nutrierunt longum capillum & barbam: res-
 tituimus autem ordinem uersuum qui erant confusi, &
 turbabant sensum. Subtrahunt, id est, quanquam cætera
 obsoleuerunt, hoc unum miraculum quod statim subiun-
 git, non potuit oblitterari. Hærens, id est, dubitans, an gla-
 dio percuteret, præpeditus stupore. Sed peregit ictum,
 id est, percussit, truncauitq; martyres, quod est contrariū
 ei, quod supra dixerat, sed illic fortasse loquebatur de
 tormentis citra mortē, hic uero de mortis genere. Vasco-
 num, quæ Calaguris in Vasconibus Celtiberis est sita. Cru-
 delis error, quia per errorē hoc fecerunt: quia dicit Apo-
 stolus, si dominum gloriæ cognouissent, nunq̄ illum cruci-
 fixissent. Spiritus hostiarum. i. horum martyrum animas,
 qui se deo obtulerunt hostias immolatas. Cerne. i. si non
 credis hoc, crede saltem miraculis. Deuorant præcordia,
 id est, torquent homines. Miscent sensibus illos pertur-
 bando. Homo plenus hoste suo, id est, à dæmone posses-
 sus. Sistitur, ponitur ante martyrum sepulchra. Cruda lu-
 mina, id est, oculos teruos. Expiandus homo, scilicet, dæ-
 moniacus purgandus, & liberandus à dæmonis potesta-
 te. Non suorum criminum, quia illud crimen non est ho-
 minis, sed dæmonis. Eiulatus, scilicet dæmonum cum tor-
 quen*

quentur uirtute martyrum, ut inde exeant cum nō uideatur tortor. Crescit, id est, extenditur suspensus. Latronem, dæmonem. Illæsam rapinam, translatio est sumpta ex lupis, qui relinquant rapinam incruentam, & abeunt faucibus siccis. Vergil. 2. Æneid. Lupi ceu raptores, catulique relicti faucibus expectant siccis. Ungue ab imo, id est, pedum. Confitens, quia non potest dissimulare. Corpora alba, id est, pallida qualia sunt ægrotantium. Persius, Atque albo uentre lauatur. Horror algidas, id est, febrem præcedens horripilium. Decoloros artus, quia correptis frigore color mutatur. Tumor, id est, pingue illud non solidum, sed inane quo ægrotantes tument. Nostro oppido, id est, Calaguri: sed quomodo nostro, si Prudentius Cæsaraugustanus est? an nostro, id est, Hispano, an Celtibero, ad quod Calaguris à Cæsaraugusta non multum distat. Sospitant, à morbis liberant. Hymnistæ, id est, hymnum cantantes, pro salute filiarum & maritorum: sed hymnistas dixit matres sicut in Psychomachia, sodomita libido.

HYMNVS AD HONOREM DIVI

Laurentij constantissimi martyris.

Mensura carm. huius cōuenit cum hym. matu. Ales dici.

Antiqua fanorum parens
Iam Roma, Christo dedita,
Laurentio victrix duce

Ritum triumphas barbarum.

Reges superbos viceras,

Populos frenis presseras,

Nunc monstruosis idolis

Imponis imperii iugum.

Hæc sola deerat gloria

Vrbis togatæ insignibus,

Feritate capta gentium

Domaret ut spurcum Iouem.

Non turbulentis viribus,

Cossi, Camilli, aut Cæsaris.

Sed

Sed martyris Laurentii
 Non incruento praelio.
 Armata pugnavit fides,
 Proprii cruoris prodiga,
 Nam morte mortem diruit,
 Ac semet impendit sibi.
 Fore hæc sacerdos dixerat,
 Iam Xistus adfixus cruci,

IO. SICH. *Iam Xistus. Hic est Xistus, qui sextus à
 Petro episcopatum Romæ sortitus erat, post Alexandrū,
 tempore Hadriani Cæsaris, anno ab hinc M. CCCC V.
 ut testatur Eusebius in Chronicis.*

Laurentium flentem videns
 Crucis sub ipso stipite.
 Desiste discessu meo
 Fletum dolenter fundere,
 Præcedo frater, tu quoque
 Post hoc sequeris triduum,

Extrema vox Episcopi
 Prænunciatrix gloriæ,
 Nihil sefellit: nam dies
 Prædicta palmam præstitit.

Qua voce, quantis laudibus
 Celebrabo mortis ordinem?
 Quo passionem carmine
 Dignè retexens concinam?

Hic primus è septem viris,
 Qui stant ad aram proximi,
 Leuita sublimis gradu,
 Et cæteris præstantior.

Claustris sacrorum præerat,
 Cœlestis arcanum domus
 Fidis gubernans clauibus,
 Votasq; dispensans opes.

Verfat famem pecuniæ
 Præfectus vrbis regis,

Mi

Minister infani ducis

Exactor hauriet sanguinis.

Qua vi latentes eruat

Nummos, operta existimans

Talenta sub sacrariis,

Cumulosq; congestos tegi.

Laurentium fisti iubet,

Exquirit arcam ditibus

Massis refertam, & fulgidæ

Montes monetæ conditos.

Soletis, inquit, conqueri,

Sæuire nos iusto amplius,

Cum Christiana corpora

Plus quàm cruenta scindimus.

Abest atrocioribus

Censura feruens motibus,

Blandè & quietè effragito

Quod sponte obire debeas.

Hunc esse vestris Orgiis

Moremq;, & artem, proditum est,

Hanc disciplinam fœderis,

Libent vt auro Antistites.

Argenteis scyphis ferunt

Fumare sacrum sanguinem,

Auroq; nocturnis sacris

Adstare fixos cereos.

Tunc summa est cura fratribus,

Vt sermo testatur loquax,

Offerre fundis venditis

Sestertiorum millia.

Addicta auorum prædia

Fœdis sub autionibus

Successor exhæres gemit

Sanctis egens parentibus:

Hæc oculuntur abditis

Ecclesiarum in angulis,

Et

Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.

Deprome thesauros, malis
Suadendo quos præstigiis
Exaggeratos obtines,
Nigrante quos claudis specu.

Hoc poscit vsus publicus,
Hoc fiscus, hoc ærarium,
Ut dedita stipendiis
Ducem iuuet pecunia.

Sic dogma vestrum est audio,
Suum quibusque reddito,
En Cæsar agnoscit suum
Numisma numis inditum.

Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da : nempe iustum postulo,
Ni fallor. haud vllam tuus
Signat Deus pecuniam.

Nec cum veniret, aureos
Secum Philippos detulit,
Præcepta sed verbis dedit
Inanis à marsupio.

Implete dictorum fidem,
Quam vos per orbem venditis,
Numos libenter reddite,
Estote verbis diuites.

Nihil asperum Laurentius
Refert ad ista, aut turbidum,
Sed vt paratus obsequi,
Obtemperanter annuit.

Est diues, inquit, non nego,
Habetq; nostra ecclesia
Opumq; & auri plurimum,
Nec quisquam in orbe ditior.

Is ipse tantum non habet
Argenteorum ænigmatum

Augustus, arcem possidens,
Cui nummus omnis scribitur.

Sed nec recuso prodere

Locupletis arcam numinis,
Vulgabo cuncta, & proferam
Pretiosa quæ Christus tenet.

Vnum sed orans flagito,

Induciarum paululum,

Quò fungar efficacius

Promissionis munere :

Dum tota digestim mihi

Christi supellex scribitur :

Nam calculanda primitus,

Tunc subnotanda est summula.

Lætus tumescit gaudio

Præfectus, ac spem deuorat,

Aurum velut iam conditum

Domi maneret gestiens.

Pepigere tempus tridui,

Laudatus inde absoluitur

Laurentius sponsor sui,

Et sponsor ingentis lucri.

Tribus per urbem cursitat

Diebus, infirma agmina,

Omnesq; qui poscunt stipem,

Cogens in vnum, & congregans.

Illic vtrisque obtutibus

Orbes cauatos præferens,

Baculo regebat præuio,

Errore nutantem gradum.

Et claudus infracto genu,

Vel crure trunco semipes,

Breuiorve planta ex altera,

Gressum trahebat impari.

Est vlcerosis artubus

Qui tabe corrupta fluat,

P

Est

AVRELI PRUDENTII

Est cuius arens dextera
 Nervos in vlnam contrahat,
 Tales plateis omnibus
 Exquirit, assuetos ali
 Ecclesiæ matris penu,
 Quos ipse primus nouerat,
 Recenset exin singulos,
 Scribens viritim nomina,
 Longo & locatos ordine
 Adstare pro templo iubet.
 Præscriptus & iam fluxerat
 Dies, furebat feruido
 Iudex auarus spiritu,
 Promissa solui efflagitans.
 Tum martyr, assistas velim,
 Coramq; dispostas opes
 Mirere, quas noster Deus
 Prædiues in sanctis habet.
 Videbis ingens atrium
 Fulgere vasis aureis,
 Et per patentis porticus
 Structos talentis ordines.
 It ille, nec pudet sequi,
 Ventum ad sacratam ianuam:
 Strabant cateruæ pauperum,
 Inculta visu examina.
 Fragor rogantium tollitur,
 Præfectus horrescit stupens,
 Conuersus in Laurentium,
 Oculis turbatis minax.
 Contrà ille quid frendens, ait,
 Minitaris? aut quid displicet?
 Num sordida hæc aut vilia?
 Num despuenda existimas?
 Aurum quod ardent er sitis
 Effossa gignunt *rudera, *stercora
 Et

Et de metallis squalidis

Pœnalis excudit labor.

Torrents *vel amnis turbidis *8

Voluens arenis implicat:

Quod terrulentum ac fordidum,

Flammis necesse est decoqui.

Pudor per aurum soluitur,

Violatur auro integritas,

Pax occidit, fides perit,

Leges & ipsæ intercidunt.

Quid tu venenum gloriæ

Extollis, & magni putas?

Si quæris aurum verius,

Lux est, & humanum genus.

Hi sunt alumni luminis,

Quos corpus arctat debile,

Ne per salutem viscerum

Mens insolescat turgida.

Quum membra morbus *diffecat, *difficit.

Animus viget robustior,

*Mentis vicissim fortibus

Vis fauciatur sensuum.

Nam sanguis in culpam calens

Minus ministrat virium,

Si feruor effectus malis

Elumbe virus contrahat.

Si forte detur optio,

Malim dolore asperrimo

Fragmenta membrorum pati,

Et pulcher intus viuere.

Committe formas pestium,

Et confer alternas lues,

Carnis ne morbus fœdior,

An mentis, & morum vlcera?

Nostri per artus debiles,

Intus decoris integri,

AVRELII PRUDENTII

Sensum venasti innoxium

* Laboris experti gerunt.

* Languoris.

Vestros valentes corpore

Interna corrumpit lepra,

Errorq; mancum claudicat,

Et cæca fraus nihil vider.

Quemuis tuorum *principum,

* diuitum

Qui veste & ore prænitet,

Magis probabo debilem,

Quam quis meorum pauperum.

Hunc qui superbit serico,

Quem currus inflatum vehit,

Hydrops aquosus lucido

Tendit veneno intrinsecus.

Ast hic auarus contrahit

Manus recurvas, & volam

Plicans aduncis vnguibus

Laxare nervos non valet.

Istum libido fœtida

Per scorta tractum publica

Luto & cloacis inquinat,

Dum spurca mendicat supra.

Quid ille feruens ambitum,

Sitimq; honoris æstuans,

Mersis ne anhelat febribus,

Atque igne venarum furit.

Quisquis tacendi intemperans

Silenda prurit prodere,

Vexatur, & scalpit iecur,

Scabiemq; cordis sustinet.

Quid inuidorum pectorum

Strumas retexam turgidas?

Quid purulenta, & liuida

Malignitarum vulnera?

Tu & ipse qui Romam regis

Contemptor æterni Dei,

Dum

Dum dæmonum sordes colis,

Morbo laboras regio.

Hi quos superbus despicias,

Quos execrandos iudicas,

Breui vlcerosos exuent

Artus, & incolumes erunt:

Quum carne corruptissima

Tandem soluti, ac liberi,

Pulcherrimo vitæ statu

In arce lucebunt patris.

Non fordidati, aut debiles,

Sicut videntur interim,

Sed purpurantibus stolis

Clari, & coronis aureis:

Tum si facultas suppetat,

Coram tuis obrutibus

Istos potentes sæculi

Velim recensendos dari.

Pannis videres obfitos,

Et muculentis naribus,

Mentum salivis vuidum,

Lipposq; palpebra putri.

Peccante nil est tetrius,

Nil tam leprosum aut putridum,

Cruda est cicatrix criminum,

Oletq; vt antrum tartari.

Animabus inuerfa vice

Corrupta forma infligitur,

Quas pulcher aspectus prius

In corpore oblectauerat.

En ergo nummos aureos,

Quos proximè sponderam,

Quos nec fauillis obruat

Ruina, nec fur subtrahat.

Nunc addo gemmas nobiles,

Ne pauperem Christum putes,

AVRELII PRUDENTII

Gemmas corusci *numinis, *luminis
 Ornatur hoc templum quibus,
 Cernis sacratas virgines,
 Mireris intactas anus,
 Primitus post damnum thori
 Ignis secundi nescias.

Hoc est monile ecclesiae,
 His illa gemmis comitur,
 Dotata sic Christo placet,
 Sic ornat altum verticem.

Eccum talentum suscipe,
 Ornabis urbem Romulam,
 Ditabis & rem principis,
 Fies & ipse ditior.

Ridemur, exclamat, furens
 Praefectus, ac miris modis
 Per tot figuras ludimur,
 Et viuit insanum caput.

Impunè tantas furcifer
 Strophas cauillo mimico
 Te nexuisse existimas,
 Dum scurra saltas fabulam?

Concinna visa urbanitas
 Tractare nosmet ludicris?
 Egon' cachinnis venditus
 Acroma festiuum fui?

Adeo ne nulla austeritas,
 Censura nulla est fascibus?
 Adeon' securim publicam
 Mollis retundit lenitas?

Dicis, libenter opperam,
 Votiuam mors est martyri.
 Est ista vobis nouimus
 Persuasionis vanitas.

Sed non volenti impertiam
 Praestetur vt mortis cita

Com

Compendiosus exirus,
Perire raptim non dabo.

Vitam tenebo, & differam

Pœnis morarum iugibus,
Et mors inextricabilis

Longos dolores proraher.
Prunas tepentes sternite,

Ne feruor ignitus nimis
Os contumacis occupet,

Et cordis intret abdita.
Vapor senescens langueat

Qui fusus afflatu leui
Tormenta sensim temperet,

Semustulati corporis.
Bene est quod ipse ex omnibus

Mysteriarches incidat,
Hic solus exemplum dabit

Quid mox timere debeant.
Conscende *constratum rogam,*

Decumbe digno lectulo:
Tunc, si libebit, disputa

Nil esse Vulcanum meum.
Hæc fante præfecto, truces

Hinc inde tortores parant
Nudare amictu martyrem,

Vincire membra, & tendere.
Illi os decore splenduit,

Fulgorq; circumfusus est,
Talem reuertens legifer

De monte vultum detulit.
Iudæa quem plebs aureo

Boue inquinata, & decolor
Expauit, & faciem retrô

Detorsit impatiens Dei.
Talemq; & ille prætulit

Oris corusci gloriam,

AVRELII PRVDENTII

Stephanus per imbrem saxeam
Cælos apertos intuens.

Illuminatum hoc eminus
Recens piatis fratribus,
Baptisma quos nuper datum
Christi capaces fecerat.

Ast impiorum cæcitas
Os oblitum noctis situ
Nigrante sub velamine
Obducta, clarum non videt.

Ægyptiæ plagæ in modum,
Quæ cum tenebris barbaros
Damnaret Hebræis diem,
Sudo exhibebat lumine.

Quin ipsa odoris qualitas
Adusta, quam reddit cutis,
Diuersa vtrosque permouet,
His nidor, illis nectar est.

Idemq; sensus dispari
Variatus aura, aut adficit
Horrore nares vindice,
Aut mulcet oblectamine:

Sic ignis æternus Deus,
Nam Christus ignis verus est,
Is ipse complet lumine
Iustos, & vrit noxios.

Postquam vapor diutinus
Decoxit exustum latus,
Vltro è catasta iudicem
Compellat affatu breui:

Conuerte partem corporis
Satis crematam iugiter,
Et fac periculum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit.

Præfectus inuerti iubet:
Tunc ille, coctum est, deuora

Et

Et experimentum cape
 Sit crudum, an assum suavius.

Hæc ludibundus dixerat,
 Cælum deinde suspicit,
 Et congemiscens obsecrat
 Miseratus urbem Romulam.

O Christe numen vnicum,
 O splendor, ô virtus patris,
 O factor orbis, & poli,
 Atque autor horum mœnium:

Qui scepra Romæ in vertice
 Rerum locasti, fanciens
 Mundum Quirinali togæ
 Servire, & armis cedere.

Vt discrepantum gentium
 Mores & obseruantiam,
 Linguasq; & ingenia, & sacra,
 Vnis domares legibus.

En omne sub regnum Remi
 Mortale concessit genus,
 Idem loquuntur dissoni
 Ritus idipsum sentiunt.

Hoc destinatum, quò magis
 Ius Christiani nominis
 Quodcunque terrarum iacet
 Vno illigares vinculo.

Da Christe Romanis tuis,
 Sit Christiana vt ciuitas,
 Per quam dedisti, vt ceteris
 Mens vna sacrorum foret.

Confœderentur omnia
 Hinc inde membra in symbolum,
 Mansuescat orbis subditus,
 Mansuescat & summum caput.

Aduertat *adiunctas plagas
 Coire in vnam gratiam,

*abiunctas

Fiat

AVRELI PRVDENTII

Fiat fidelis Romulus,
Et ipse iam credat Numa.

Confundit error Troicus,
Adhuc Catonum curiam

Veneratur occultis focis
Phrygum penates exules.

Ianum bifrontem & Sterculum
Colit Senatus, horreo

Tot monstra patrum dicere,
Et festa Saturni senis.

Absterge Chrifte hoc dedecus,
Emitte Gabriel tuum,

Agnoscat vt verum Deum
Errans Iulica cæcitas.

Et iam tenemus obsides
Fidissimos huius spei,

Hic nempe iam regnant duo
Apostolorum principes.

Alter vocator gentium,
Alter cathedram possidens

*Primus * Primam, recludit creditas
Æternitatis ianuas.

Discede adulter Iuppiter
Stupro sororis oblite,

Relinque Romam liberam,
Plebemq; iam Christi fuge.

Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri,

Tibi id, quod ipse armaueras
Factum Neronis officit.

Video futurum principem
Quandoque, qui *seruos Dei

*seruus Tetrus sacrorum sordibus
Sernire Romam non sinat.

Qui templa claudat vectibus,
Valuas eburnas obstruat,

*Nec

* Nefasta dānnet limina, * nefanda

Obdens ahenos pessulos.

Tunc pura ab omni sanguine

Tandem nitebunt marmora,

Stabunt & æra innoxia,

Quæ nunc habentur idola.

Hic finis orandi fuit,

Et finis *idem vinculi *item

Carnalis, erupit volens

Vocem sequutus spiritus,

Vexere corpus subditis

Ceruicibus quidam patres,

Quos mira libertas viri

Ambire Christum suaserat.

Repens medullas indoles

Afflarat, & coëgerat

Amore sublimis Dei

Odisse nugas pristinas.

Refrixit ex illo die

Cultus deorum turpium,

Plebs in facellis rarior,

Christi ad tribunal curritur.

Sic dimicans Laurentius

Non ense præcinxit latus

Hostile, sed ferrum retro

Torquens in autorem tulit.

Dum dæmon inuictum Dei

Testem lacessit prælio,

Perfossus ipse concidit,

Et stratus æternum iacet.

Mors illa sancti martyris,

Mors vera templorum fuit,

Tunc Vesta Palladios lares

Impunè sensit desereri.

Quicquid Quiritum suauerat

Ornare res vanas Numæ

Et

Christi

Christi frequentans atria,
Hymnis resultat martyrem.

Ipsa & Senatus lumina
Quondam Luperci, aut Flamines,
Apostolorum & martyrum
Exosculantur limina.

Videmus illustres domos,
Sexu ex utroque nobiles,
Offerre votis pignora
Clarissimorum liberum.

Vittatus olim pontifex
Accitur in signum crucis,
Ædemq; Laurenti tuam
Vestalis intrat Claudia.

O ter, quaterq; & septies
Beatus Urbis incola,
Qui te ac tuorum comminus
Sedem celebrat offium.

Cui propter aduolui licet,
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure.

Nos Vaseo Hiberus diuidit
Binis remotos alpibus
Trans Cotianorum iuga,
Trans & Pyrenas ningidos.

Vix fama nota est, abditis
Quàm plena sanctis Roma sit,
Quàm diues urbanum solum
Sacris sepulchris floreat.

Sed qui caremus his bonis,
Nec sanguinis vestigia
Videre coram possumus,
Cælum intuemur eminus.

Sic sancte Laurenti tuam
Nos passionem quarimus,

Est

Est aula nam duplex tibi,
Hic corporis, mentis polo.

Illic inenarrabili

Allectus vrbi municeps

Æternæ in arce curiæ,

Gestas corouam ciuicam.

Videor videre illustribus

Geminis coruscantem virum,

Quem Roma cœlestis sibi

Legit perennem Consulem.

Quæ sit potestas credita,

Et muneris quantum datum,

Probant Quiritum gaudia,

Quibus rogatus annuis.

Quod quisque supplex postulat,

Fert impetratum prospere:

Poscunt, *litantur, indicant, *iocatur

Et tristis haud vllus redit:

Ceu præsto semper adfies,

Tuosq; alumnos vrbicos

Lactante complexus sinu

Paterno amore nutrias.

Hos inter ô Christi decus

Audi & poëtam rusticum

Cordis fatentem crimina,

Et facta prodentem sua.

Indignus agnosco & scio,

Quem Christus ipse exaudiat,

Sed per patronos martyres

Potest medelam consequi.

Audi benignus supplicem

Christi reum Prudentium,

Et seruientem corpori,

Ablue vinclis sæculi.

A Ntiqua fanorum parens) Carmen est quale illud,
Ales diei nūcius, In prima carminis parte Prudētius

AVRELII PRUDENTII

gratulatur Romæ, quòd Laurentio duce expulerit deos gentilium. Deinde à Xisto martyrium sibi prædictum narrat, & quomodo spe thesaurorum ecclesiæ præfectum urbis delusit: & tandem igni impositus animam exhalauit, tum demum iterum gratulatur urbi, & celebritatem, cum ossa martyris commemorat. Parēs sanctorum. i. templorum dijs dicatorum fabricatrix. Iam Christo dicata, lege dedita ut stet uersus. Sensus tamen idem. Ritum barbarum. i. religionem deorum falsam. Reges superbos, sensus est, quòd prius sub falsa religione uicit orbem terrarū, nunc sub Laurentio uincit deos falsos. Insignibus uictorijs de orbe totæ partis. Urbis togatæ: ex Vergil. Romanos rerum dominos gentemque togatam. Capta feritate, id est, post barbaros domitos & captos. Viribus Cossi, Cornelius Cossus tribunus militum bello cum Veientibus habitato, Tolumnium eorum regem occidit, spoliaque opima de eo Ioui Feretria detulit, secundus post Romulum. Camilli, M. Furius Camillus, qui Capitolium à Gallis Senonibus obsessum liberauit, de quo Vergil. Referentem signa Camillum, & Cæsaris qui singularem obtinuit dictaturam. Non incruento, quia fuso sanguine peperit sibi uictoriam. Prodigia cruoris: sic Horat. Animæque magnæ prodigum Paulum superante pæno. Semel impendit sibi id est, uitam præsentem ut uiueret uitam immortalem. Xistus, Episcopus qui martyrio præcessit Laurentium, appellaturque Xistus non ut uulgus scribit Sixtus, literis inuersis. Sub stipite crucis, ubi Xistus pendeat. Discessu meo, quo à te diuellor per mortem. Qua uoce Poëta dicit se imparem ad describendam tam grandem materiam. Retextens, pangens & componens cæmen. Primus de septem uiris, ex consuetudine primitiue & incipientis ecclesiæ, in qua fuerunt electi septem uiri Leuitæ qui altari ministrarent: quorum princeps fuit Stephanus ut legitur Actuum. cap. vi. Cæteris, aut Leuitis, collegis, aut cæteris in rebus, puta martyrio. Claustris sacrorum, erat enim ædituus & ararij sacri custos. Arcanum domus cælestis,

id est, thesaurum secretum ecclesie. Votas opes, & hoc more primitiue ecclesie, ex communi uictitantes: omnia namque uendebant, & ponebant ante pedes discipulorum. Præfectus urbis, erat ab imperatore urbi præpositus, cuiusmodi potestatem habet qui hodie dicuntur Viceceres. Insani ducis, id est, imperatoris qui talem præposuit. Exactor hauriet sanguinis, lege, exactor hausti sanguinis, id est, qui acerbe exigebat uectigalia usque ad effusionem sanguinis. Iuuen. Ossa uides regum uacuis exhausta medullis. Qua ui, repete à superioribus: & uersat, qua ui & c. Cumulos, auri & argenti. Montes moneta, ut uulgo dicimus montones. Soletis inquit, hæc uerba sunt præfecti blandientis Laurentio, dū pecunias extorqueat, & est sensus, non sumus aded crudeles ut uos Christiani dicitis. Sed censura feruens, id est, censor iratus. Abest, id est, non scuit. Quod debeas obire, id est, exequi, ut obco munus legationis, id est, exequor. Vestris Orgijs, id est, sacris, nam Orgia sunt omnia sacra, sed Bacchi præcipue. Fæderis, id est, religionis. Sanguinem sacrum, non quod Christiani sanguinem hostiarum funderent: sed quod hic ignarus religionis putat illos ita facere. Auroque, id est, candelabris aureis. Fratribus, id est, eiusdem religionis socijs, sicut diximus factum fuisse in ecclesie initio. Milia, subaudi multa. Addicta, id est, uendita, ut sæpe in libris digestorum, unde est & titulus de in diem additione uel uenditione. Fædis auctio nibus, quia ex eis liberi relinquuntur ex hæredes. Sanctis parentibus, id est, quos appellatis sanctos. Hæc, scilicet quæ ex distractione illa bonorum rediguntur. Creditur, à nobis Christianis, cum sit potius impietas. Malis præstigijs, id est, artibus quibus miseros deludis, faciens illis apparere quod non est: quæ ars planorum & circulatorum & præstigatorum est. Specu nigrante, id est, obscuro & tenebroso. Vsus publicus, quia respu. habet his opus. Fiscus & ararium, hæc distant inter se: quoniam Fiscus est ipsius principis, ararium recip. pecu.

pecunia destinata. Pecunia dedita, id est, decreta & attributa stipendijs militum. Dogma uestrum, ad illud Saluatoris refert, cum dixit: Reddite quae sunt Caesaris Caesari & quae Dei Deo. Suum numisma, id est, nummum in quo est impressa imago sua: dixerat nanque Saluator, Cuius est imago haec & circumscriptio? dicunt ei Caesaris. Tuus Deus, id est, Dei tui imago in nullis numismatis est impressa: cum ueniret ad Euangelium praedicandum. Philippus, monetam quam Philippus Macedonum rex, & Alexandri pater percuti iussit. Horatius: Rettulit acceptos regale numisma Philippus. Inanis à marsupio, id est, uacuus, hoc enim multis in locis Saluator discipulis interminatur. Fidem dictorum, id est, facite quod dicitis. Venditis, id est, diuulgatis, quasi dicat, uenditis falsa pro ueris, nisi facitis quod praedicatis. Diuites uerbis, id est, non pecunia, eo modo quo Stoici dicunt sapientes diuites esse. Obtemperanter, obedienter. Argenteorum aenigmatum, lege emblematum, id est, uasorum emblematis insignatorum. Possidens arcem, scilicet imperij. Nummus scribitur, id est, cuius imago imprimitur, & titulus circumscribitur. Iuuenalis: Scripto radiat Germanicus auro. Locupletis numinis, id est, dei mei qui locuples est. Christi, subaudi arca. Paululum induciarum, id est, in certam diem dilationem, quasi gesturus postea bellum cum praefecto, inducias uocat. Digestim dirigendo nummorum generaspem deuorat, id est, concipit. Plautus in Asinaria: Mea dicta denorate, id est, auide accipite. & Martialis, Deuorat draucos. Laudatus, scilicet, à praefecto, quod tam benigne sit pollicitus illos thesauros. Sponsor sui, & sponsor lucri, scilicet, quod rediturus ipse cum omni suppellectile ecclesiastica. Agmina infirma, scilicet, pauperum ualitudinariorum. Cauatos utrisque obtutibus, id est, uacuos utrisque oculis, hoc est, caecos quos ipse ducebat. Nutantem gradum, id est, passum uacillantem. Claudus, tria clauditis genera exponit, aut fracto, aut amputato aut breuiori crure. Tabe corrupta, id est, pure ex ulcere

defluenti. In ulnam contrahat, id est, in brachiorum ambi-
tum incuruet. Penu, id est, alimentis quæ in penario so-
lent adseruari, ut in Digestis titulo de penu legata. Recen-
set, id est, recognoscit. Viritim, per singulos uiros. Prædi-
ues in sanctis, ambigue loquitur, ut præfectus putaret in
sacrarijs, ille autem intelligebat in pauperibus. Structos
talentis ordines, id est, talenta ordinibus distributa. Ad
sacratam ianuam, ad templum. Fragor rogantium, id est,
clamor mendicantium. Sordida aut uilia, quasi dicat, hæc
uasa preciosa sunt. Rudera effossa, nam uenæ auri & ar-
genti eruderantur à metallarijs. Eruderare autem est pur-
gare, & rudera ipsa purgamenta quæ ex scrobibus effo-
diuntur. Ex metallis, quæ uulgus appellat mineralia. Pæ-
nalis labor, eorum, scilicet, qui damnabantur in metalla
effodienda. Amnis turbidis, puta in Lydia Hermus &
Pactelus, in Hispania Tagus & Minus. Iuuenalis, Omnis
arena Tagi quodque in mare uoluitur aurum. Terrulen-
tum, cum est in balnea, nam postea igni purgatur. Pudor
per aurum. Ouid. 1. Metam. Effodiuntur opes irritamenta
malorum. & Verg. 3. Aneid. Quid non mortalia pectora
cogis Auri sacra fames. Intereidunt, quia omnia corrumpuntur
auro. Venenum gloriae. i. aurum: quo uera gloria
perit: aut more loquitur Christianorum, qui gloriam ap-
pellant sanctorum beatitudinem. Lux & humanum genus. i.
Christus qui est lux mundi. Ioann. 8. Homines ab eo re-
dempti. unde subdit, Hi sunt alumni luminis: de quo lumi-
ne Ioannes præbuit testimonium, Ioan. 1. Corpus debile,
iuxta illud Apostoli. ij. Corin. xij. Cum infirmior fortior
sum. Mentis uicissim, ordo & sensus est, Vicissim. i. rursus
& ediuerso. Vis sensuum mentis sauciatur fortibus, sub-
audi membris. Sanguis in culpam cadens, id est, incitans
ad culpam cum calidus est. Si est effectus, id est, debilita-
tus & exhaustus. Malis. i. morbis. Contrahat uirus elum-
be. i. quod eneruat & debilitat. Minus ministrat uirium. i.
nō habet tantas uires ad peccandum. Detur optio. i. electio.
Fragmēta, id est, fracturam. Intus, id est, in parte animæ.

AVRELIIPRVVENTII

Committe. i. compara. Lues alternas. i. alternatim subeuntes. Noſtri, ſubaudi, pauperes. Debiles per artus, truncatis membris debilitati. Intus. i. in anima. Expertes laboris. i. morbi & doloris. Venuſti gerunt ſenſum integri decoris. i. habent mentem integram & decoram. Veſtros gentiles, infideles. Lepra interna. i. animi peſtis. Claudicat mancum. i. ad modum mancorum & truncatorum, & eſt aduerbium, ſicut in tonat horrendum, & ridet ſardonicum. Probabo magis debile, ſubaudi eſſe. Hydrops aquoſus. i. aqua intercus. Tendit, id eſt, extendit & inflat, Veneno lucido. Sic Horatius dixit: Turgeſcit uitrea bilis Et Perſius, Et ſplendida bilis. Mendicat ſupra, id eſt, interpellando pueros & puellas & huiusmodi proceces, à precando, & petulantes à petendo dicuntur. Sitim honoris aſtuans, id eſt, quodam feruore petens honores: & comparatur ambitioſus febricitanti, luxurioſus ſpurco, auarus manco, ſuperbus hydropico, maledicus quoque comparatur hepatico, uel potius ſplenetico, de quo dixit Perſius, Sed ſum petulanti ſplene cachinno. Prodere ſilenda, ut ad riſum moueat auditores. Prurit, & ſcalpit, & ſcabies ad eos pertinet, qui non poſſunt animi ſecretum retinere, ſed dicacitate quadam laborant, ſicut qui habet ſcabiem, non poteſt unguis cōtinere. Strumas turgidas, ſtrumosos comparat inuidis, eſt autem ſtruma, ut inquit Celfus, tumor glanduloſus, maximè circa fauces & alas, & inguina. Morbo regio. i. icterico, q̄ aurigo dicitur, ab auri colore, dictus regius, quòd huiusmodi morbo laborantes, delicate debeant & regum more curari. Sicut uidentur interim. i. nunc in hac uita. Si ſuppetat facultas, id eſt, ſi detur tibi ad hoc copia. Recenſendos. i. recognoſcendos. Obſitos pannis, Terent. Pannis annisq̄ue obſitus. i. pannosus, qui nunc ſunt purpurati. Palpebra putri, qualis eſt in uimosis. Cicatrix cruda, id eſt, non conſolidata, ſed purulenta, & pure manans. Antrum tartari, id eſt, ſulphur olet. Verſa uice, id eſt, e contrario, quia, ut inquit Ariſtoteles, lib. iij. Ethic. Pœnæ medicinae quædã ſunt, quæ per contraria ſe

ri debent, ut qui dum uiuerent, erant ornatas studiosi, in morte sint deformati : contrarium ei quod Vergilius. vi. Aeneid. scribit. Quisque suos patimur manes. Ruina obruat, ad illud spectat quod saluator dicit Luc. xij. Thesaurizate uobis thesauros. Gemmas nobiles, uirgines dicit & continentes. Intactas anus, post primas nuptias, alias intacta est uirgo. Verg. Aene. i. Cui pater intactam dederat primisque iugarat Ominibus. Ignis secundi, id est, secundarum nuptiarum. Verticem, id est, caput, haec est illa noua Hierusalem, descendens de caelo, quasi sponsa ornata uiro suo, de qua in Apoc. cap. xxi. Rem principis id est, patrimonium. Horat. Rem quocunque modo, rem si possis recte. Et uinit, quasi dicat, & non occiditur. Furcifer, ignominiae causa sic appellabantur serui. Strophas, id est, tergiuersationes: utitur Martialis saepe, & ex nostris Hieronymus. Cauillo mimico, id est, cauillatione, qualis utuntur poetae, comici, & mimographi. Saltas fabulam, nam erant poemata quae saltabantur, ut Silenus Vergilianus, quem ipse Vergilius saltasse dicit. Concinna uisa, id est, adeo ne uisus tibi sum idoneus, ut mihi illuderesset. Acroma siue acroma, interpretatur auditio ab acroaoma, audio. Nepos in uita Attici, Nemo in conuiuio eius aliud acroma audiuit. Suetonius in Augusto, Acromata & histriones & triuiales ex circo ludos. sunt ergo acromata fabulae, quae ad delectationem narrari solent. Adeon, sensus est, adeo ne nos censores debemus esse faciles, ut haec & talia patiamur? Fascibus, id est, consulibus & praetoribus, quorum insignia sunt fascies. Securim, quae fascibus uirgarum adiungebatur. Retundit lenitas, id est, clementia hebetat, ut non scuiat in huiusmodi delusores. Libenter oppetam, id est, moriar. Mors uoluntaria. i. quae a uobis optatur. Volenti, scilicet tibi optanti mortem. Compendiosus. i. breuis. Raptim, uelociter, sed dabo ut lente pereas. Inextricabilis. i. qui non extricabit, resoluet animam a corpore: nam extricare, est explicare & dissoluere. Tepentes, ne scilicet uapore ignis strangu-

AVRELII PRVDENTII

lectur. Abdita cordis, & sic pereat. Senescens. i. propemodum extinctus. Temperet tormenta. i. non acuat. Semustulatus. i. semustus. Lucan. in. 8. Semusta rapit resolutaque nondū. Mysteries. i. mysteriorū & sacrorū princeps, sicut mystarches sacerdotum. Exemplū dabit, scilicet cæteris eiusdem sectæ. Vulcanam meū. i. quem ego dico esse meum numen, & quem tu irrides. Et tenderē. i. distendere funibus. Legifer. i. Moses, cum secundo legem ex mente detulit, ut legitur Exo. 34. Aureo boue, uitulo, quem sibi confluauerat, ut est in Exo. xxxij. Decolor, degenerans. Expauit, uidentes, inquit, Aaron, & filij Israël cornutam Mosi faciem, timuerunt propè accedere. Ille Stephanus, protomartyr, de quo Act. cap. 6. Viderunt faciem eius tanquam faciem angeli. & cap. 7. Cum autem Stephanus esset plenus spiritu sancto, intendens in cælum, uidit gloriam Dei, & c. Per imbrem saxeum, id est, cum lapidaretur. Illuminatum hoc eminus, forte aliter legendum est, est tamen sensus, quod baptizati cernebant Stephanum habentem faciem angeli: aut legendum quod baptizati à Laurentio illuminati cernebant illum fulgore circumfusum, eminus, id est, à longe. Recens piatis, per baptisma, in initio nascentis ecclesiæ cum per baptisma fiebant spiritus sancti capaces. Cæcitas impiorum, qui torquebant Laurentium. Oblitum, id est, obscuratum. Noctis sita, id est, quasi umbra & tenebris, in quibus est rerum situs, id est, squalor. Obducta, operta. Sub nigro uelamine, id est sub umbra. Ægyptiæ plaga, de qua in Exod. cap. 10. Tribus diebus in tenebris nemo uidit fratrem suum, ubicunq; habitabant filij Israël, lux erat, sic in Laurentij martyrio baptizati fideles uidebant illum fulgentem, tortores autem nihil tale uidebant, sed quasi nube obductum. Barbaros Ægyptios, ut in psalmo, in exitu Israël de Ægypto, domus iacob de populo barbaro. Sudo lumine, id est, sereno. Verg. viij. Æn. Per sudum rutilare uidet. dictum sudum, id est, sine humido. Qualitas diuersa odoris, quia à Christianis iudicatur nectar odoratū, à tortoribus nidor,

quæ

qui ex concoctis cibis euaporatur. Idem sensus, scilicet
 odoratus, Aura uaria, quia in aëre fundatur odor. Hor-
 rore undice, id est, ultrice in tortores, aut oblectamine in
 Christianos. Christus ignis, de quo Malach. iij. Ipse enim
 quasi ignis conflagrans, & sedebit conflagrans & emundans ar-
 gentum, & purgabit filios Leui. Complet lumine et urit,
 qui tamen sunt contrarij effectus ex eadem causa profe-
 cti. E catasta, ut supra ex tormento. Fac periculum, id est,
 experire. Crudum ceu assum, quod utranque erat in Lau-
 rentio. Ludibundus, id est, per ludum iocumque hæc dice-
 bat. Urbem Romulam, à Romulo conditam. Horat. in car-
 mine seculari: Romulæ genti date rem prolemque. Nu-
 men unicum, quia pater & filius & spiritus sanctus unus
 deus sunt. O splendor & uirtus patris, Hebr. i. Qui cum sit
 splendor gloriæ & figura substantiæ eius. & in hymno,
 splendor paternæ gloriæ. Virtus patris, id est, fortitudo.
 Vnde Esaiæ. lxij. Et brachium domini cui reuelatū est.
 Autor horum mœnium, quorum Romulus dicitur esse con-
 ditor, quia ideo fecisti ut Roma esset caput orbis, ut oēs
 gentes obedirēt unis legibus. nam quod Vergilius primo
 Aeneid. scribit: His ego nec metas rerum, nec tempora
 pono: ad imperiū ecclesiæ potius quam ad seculare per-
 tinet. Quirinali togæ, quia Romulus post consecrationem
 Quirinus est cognominatus, & Romana gens togata à
 Vergilio dicitur, ut, Romanos rerum dominos gentemque
 togatam. Obseruantiam, id est, religionem. Ingenia, quæ
 apud diuersas nationes uaria sunt, & ad diuersa studia
 inclinata. Regnum Remi, pro Romuli, nam & ille parti-
 ceptus regni fuit. Dissoni ritus, id est, diuersi mores, & ho-
 mines diuersorum studiorum. Idem loquuntur & sen-
 tiunt, quia idem credunt & confitētur, scilicet fidem Chri-
 stianam, uel potius ad linguam latinam referendum &
 ad leges Romanorum. Hoc destinatum, à deo, ut quemad-
 modum omnes tenentur uno imperio, teneantur etiam una
 religione. Mens una sacrorum, quia cum imperio propa-
 gata est religio Christiana. In symbolum, id est, in conue-

AVRELII PRUDENTII

*n*ientiam: nam symbolū est, in quo plura conueniunt. *M*an-
*s*uescit orbis, non totus, sed ecclesia orientalis & Græca,
*u*nde incepit religio nostra. *C*aput, Roma. *V*er. *Q*uæ alias
*i*nter caput extulit urbes. *A*duertat, Roma uideat. *A*b-
*i*unctas plagas, id est, disiunctas regiones. *I*n unam gra-
*t*iam, id est, amorem religionis conuenire. *R*omulus &
*N*uma, per quos intelligit Romanorum principes. *E*rror
*T*roicus, id est, Romani, qui à Troianis acceperunt reli-
*g*ionem, hoc est, Vestam & Penates, & Palladium. *C*u-
*r*iam Catonum, id est, nobilium Romanorum, quales fue-
*r*unt Catones. *O*ccultis focus, ignem uestalem, qui in abdi-
*t*is seruabatur. *V*ergil. *i*. *A*en. *A*eternumq; adytis effert
*p*enctralibus ignem. *P*enates exules. *V*ergil. *V*ictosq; pe-
*n*ates. *I*anum bifrontem. *O*uid. *i*. *F*astorum, *I*anus bifrons
*a*nni tacite labentis, origo solus de superis, qui tua terga
*u*ides. *S*terculum. *M*acrobis in primo *S*atur. *C*yrenenses
*m*ellis & fructuum repertorem Saturnū existimant, hunc
*R*omani Sterculum uocant. *G*abriel, recte non est ausus
*d*eclinare sub hac terminatione. *C*æcitas Iulica, id est, eo-
*r*um, qui ab Ascanio Iulo Aeneæ filio descendunt, à quo
*I*ulius Cæsar ducebat originem. *V*ergil. *I*ulius à magno
*d*emissus nomen Iulo. *V*ocator gentium, scilicet Paulus,
*q*ui præ cæteris prædicator gentium dicitur. *R*ecludit, id
*e*st, aperit. *A*eternitatis, id est, caelorum & uitæ æternæ,
*S*tupro sororis, Iunonis, quæ Iouis dicitur & soror &
*c*oniunx. *E*xturbat, eijcit. *O*uidius. *xv*. *M*etamorph. *E*x-
*t*urbare animas posuit pro eijcere. *F*actum Neronis, qui
*P*etrum & Paulum martyrio coronauit. *Q*uod tu armas
*u*eras, id est, molitus eras, quod cessit in perniciem tuam.
*F*uturum principem, *C*onstantinum intelligit, cuius edi-
*f*icatio, ut inquit Hieronymus, gentilium templa subuersa
*s*unt. *O*bdens pessulos, id est, ianuarum repagula. *M*ar-
*m*ora templorum, scilicet idola, id est, sanctorum imagi-
*n*es, quia idola deorum noxia erant. *V*incula carnalia,
*q*uibus anima in corpore tenetur. *E*rupit, pro rupit, pro
*s*implici compositum. *L*ibertas uiri, id est, Laurentij:

nam

nam patres illi cum uidissent martyrem tanta libertate apud urbis præfectum fuisse usum, cæperunt et ipsi Christum querere. Indoles, probitas illa martyris. Repens modullas, illorum patrum inflammabat. Nugas pristinas, id est, uanitates gentilicas. In sacellis, deorum gentilium. Rarior, cum antea esset frequentior. Curritur, plerique omnes currunt. Retro torquens, pro, retorquens: nam moriens hostem superauit, sic enim indies crescebat ecclesia. Stratus æternum, æternaliter, nomen pro aduerbio. Vergilius. vi. Aeneid. Sedet æternumque sedebit. Vesta, id est, ignis Vestalis. Ouid. Nec aliud Vestam quam uiuam intellige flammam. Laros Palladios, id est, templum ubi erat Palladium. Impunè, quia si negligentia uirginum Vestalium ignis extingueretur, capitale erat illis, sed tunc impune ille ignis extinctus est. Res uanas Numæ, qui religionem Romanis tradidit & sacra. Resultat martyrem, id est, resultando concinit. Luperi, sacerdotes Panos dei pastorum. Et Flamines, sacerdotes collegiorum. Lumina senatus, id est, ex senatoribus illustrissimi. Ex utroque sexu, ex patre & matre fulgentes sanguine. Pignora clarissimorum liberum, pro liberorum, id est, ipsos liberos, qui sunt pignora parentibus. Pontifex uittatus, qui fuit apud gentiles in summa ueneratione. Claudia Vestalis, per quam intelligit quemlibet uirginem sacerdotem ex collegio Vestæ, hæc est illa Claudia, quæ cum accusaretur pollutæ castitatis, purgans innocentiam suam, cingulo traxit nauem, quæ neque uelo, neque remis promoueri poterat. Terque quaterque & septies, ex Vergilio pri. Aeneid. O terque quaterque beati. sed septies conflatur ex ternario & quaternario, qui numerus ex certa quadam ratione perfectus est. Te, o Laurenti. Comminus, id est, prope, & in eadem urbe. Aduolui propter, id est, prope. Vergil. in Bucol. Propter aquæ riuum uiridi procumbit in herba. Nos Vasco Iberus, sensus est, ille dicitur fœlix, cui licet Romæ uisitare ciores beati Laurentij, sed nos, Hispanos. Iberus

AVRELII PRVDENTII

Vasco, id est, fluuius qui Vascones alluit. Diuidit, id est, separatur nos, non quòd Iberus appelletur Vasco, cum præterfluit Casaraugustam urbem, sed quòd ortus in Vasconibus fluit per illos. Et deinde per Celtiberos. Binis alpi- bus, quod ipse declarat, trans alpes Coctianas Et trans Pyreneum. Dictæ sunt aut Coctiæ alpes, à Coctio Gallo- rum rege, qui cum Augusto amicitiam fecit. Coctianæ di- cuntur à Cornelio Tacito. Ninguidos, id est, niuosos. nam ninguis pro nix dicebant antiqui, et inde ninguidus a um. Sidonius, Iani Numæque ninguidos menses. Vix fama, id est, nescitur. Urbanum solum, id est, urbis, quæ per excel- lentiam sic dicitur. Cælum intuemur, ubi est certior se- des martyrum. Sic, scilicet intuentes cælum. Allectus ur- bi, Ierusalem cælesti, de qua in Apocal. cap. xxi. Inenar- rabili, id est, cuius opulencia narrari nõ potest. Coronam ciuicam, quæ dabatur illi qui ciuem in prælio seruasset; sed quia Laurentius multos hoc modo reduxit ad Chri- stum, merito donatur corona ciuica. Roma cælestis, sicut Hierusalem cælestis. Quæ sit potestas, quod in uita alio- rum martyrum facit, Et in hæc facit ut enarret huius mar- tyris quæadmodum Et aliorum potestatem. Gaudia Quir- ritum, consequentium petita. Litantur, pro litant, hoc est, impetrant quod poscunt. Adsis, antiquum, pro adsis. A- lumnos urbicos, id est, tuos cines. Lactante sinu, more ma- trum, quæ filios lactant. Quem exaudit, quia peccato- res deus non exaudit. Ioann. cap. ix. Medelam, id est, pec- catorum ueniam. Reum Christi, id est, quem Christus po- test accusare peccatorem. Cicero pro Milone, Reus Mi- lonis lege Plotia fuit Clodius. Seruientem corpori, dum est in hoc seculo.

HYMNVS IN LAVDEM EVLA-
LIÆ VIRGINIS.

Carmen monocolum, Alcmanium, dactylicum, hyper- catalecticum: constans tribus dactylis, Et semipede, hoc modo:

-VV -VV -VV V

Germis

G Ermine nobilis Eulalia,
Mortis & indole nobilior,
Emeritam sacra virgo suam

Cuius ab vberere progenita est

Offibus ornat, amore colit.

Proximus occiduo locus est,

Qui tulit hoc decus egregium,

Vrbe potens, populis locuples,

Sed mage sanguine martyrii,

Virgineoq; potens titulo.

Curculis tribus atque nouem

Treis hyemes quater attigerat,

Cum crepitante pyra trepidos

Terruit aspera carnifices

Supplicium sibi dulce rata.

Iam dederat prius indicium

Tendere se patris ad solium,

Nec sua membra dicata thoro

Ipsa crepundia reppulerat,

Ludere nescia pusiola.

Spernere succina, *flore rosas,

*flare

Fulua monilia respuere,

Ore seuera, modesta gradu,

Moribus & nimium teneris:

Caniciem meditata fenum.

Ast vbi se furiata lues

Excitat in famulos domini,

Christicolasq; cruenta iubet

Thura cremare, iecur pecudis

Mortiferis adolere deis.

Infremuit sacer Eulaliæ

Spiritus, ingeniiq; ferox

Turbida frangere bella parat,

Et rude pectus, anhela Deo

Fœmina prouocat arma virum.

Sed pia cura parentis agit

Virgo

AVRELII PRVDENTII

Virgo animosa domi vt lateat,
Abdita rure & ab vrbe procul,
Ne fera sanguinis in pretium
Mortis amore puella ruat.

Illa perosa quietis opem
Degeneri tolerare mora,
Nocte fores sine teste mouet,
Septaq; claustra fugax aperit,
Inde per inuia carpit iter.

Ingreditur pedibus laceris,
Per loca senta situ, & vepribus,
Angelico comitata choro:
Et licet horrida nox fileat,
Lucis habet tamen illa ducem.

Sic habuit generosa patrum
Turba columniferum radium,
Scindere qui tenebrofa potens
Nocte viam face perspicua
Præstitit, intereunte Chao.

Non aliter pia virgo viam
Nocte sequuta diem meruit,
Nec tenebris adoperta fuit,
Regna Canopica quum fugeret,
Et super astra pararet iter.

Illa gradu cita peruigili,
Millia multa prius peragit,
Quàm plaga pandat Eoa polum:
Mane superba tribunal adit,
Fascibus adstat & in mediis.

Vociferans, rogo quis *pudor est, *furo
Perdere præcipientes animas,
Et male prodiga corda sui
Sternere rasilibus scopulis,
Omnipatremq; negare deum?
Quæritis ô miseranda manus
Christicolûm genus? En ego sum

Dæmonicis inimica sacris,
 Idola protero sub pedibus,
 Pectore & ore Deum fateor.

Isis, Apollo, Venus nihil est,
 Maximianus & ipse nihil.
 Illa nihil, quia facta manu:
 Hic, manuum quia facta colit:
 Friuola vtraque, & vtraque nihil.

Maximianus opum dominus,
 Et tamen ipse cliens lapidum,
 Prostituat, voueatq; suis
 Numinibus caput ipse suum:
 Pectora cur generosa quatit?

Dux bonus, arbiter egregius
 Sanguine pascitur innocuo,
 Corporibusq; piis inhians,
 Viscera sobria dilacerat,
 Gaudet & excruciare fidem.

Ergo agè tortor adure, seca,
 Diuide membra coacta luto.
 Soluere rem fragilem facile est,
 Non penetrabitur interior
 Exagitante dolore animus.

Talibus excitus in furias
 Prætor, ait, Rape præcipitem
 Licitor, & obrue suppliciiis,
 Sentiat esse deos patrios,
 Nec leue principis imperium.

Quàm cuperem tamen, ante necem
 Si potis es reuocare tuam
 Torua puellula nequitiam,
 Respice gaudia quanta metas
 Quæ tibi fert genialis honor.

Te lachrymis labefacta domus
 Prosequitur, generisq; tui
 Ingemit anxia nobilitas,

Flo

Flore quod occidis in tenero,
Proxima dotibus & thalamo.

Non mouet aurea pompa thori,
Non pietas veneranda senum,
Quos temeraria debilitas,
Ecce parata ministeria
Excruciabilis exitii.

Aut gladio feriere caput,
Aut laniabere membra feris,
Aut facibus data fumificis
Flebiliterq; vlulanda tuis
In cineres resoluta flues.

Hæc, rogo, quis labor est fugere?
Si modicum falis eminulis,
Thuris & exiguum digitis
Tangere virgo benigna velis,
Pœna grauis procul abfuerit.

Martyr ad ista nihil, sed enim
Infremit, inq; tyranni oculos
Spura iacit, simulacra dehinc
Dissipat, impositamq; molam
Thuribus pede profubigit.

Nec mora, carnifices gemini
Iuncea pectora dilacerant,
Et latus vngula virgineum
Pulsat vtrunque, & ad ossa secat
Eulalia numerante notas.

Scriberis ecce mihi domine,
Quàm iuuat hos apices legere,
Qui tua Christe trophæa notant,
Nomen & ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.

Hæc sine fletibus & gemitu
Lata canebat & intrepida,
Dirus abest dolor ex animo,
Membraq; picta cruore nouo

Fonte cutem recalente lauant.

Vltima carnificina dehinc

Non laceratio vulnifica

*Cratetenus nec arata cutis,

*Oretenus

Flamma, sed vndique lampadibus

In latera, stomachumq; furit.

Crinis odoros & in iugulos

Fluxerat, inuolitans humeris,

Quò pudibunda pudicitia,

Virgineusq; lateret honos,

Tegmine verticis opposito.

Flamma crepans volat in faciem,

Perq; comas vegetata caput

Occupat, exuperatq; apicem:

Virgo citum cupiens obitum,

Appetit & bibit ore rogam.

Emicat inde columba repens,

Martyris os niue candidior

Visa relinquere, & astra sequi:

Spiritus hic erat Eulaliæ

Lacteolus, celer, innocuus.

Colla fluunt abeunte anima,

Et rogos igneus emoritur,

Pax datur artibus exanimis,

Flatus in æthere plaudit ouans,

Templaq; celsa petit volucer.

Vidit & ipse fatelles auem

Fœmiuæ ab ore meare palàm,

Obstupefactus, & attonitus

Profilit, & sua gesta fugit,

Lictor & ipse fugit pauidus.

Ecce niuem glacialis hyems

Ingerit, & regit omne forum,

Membra regit simul Eulaliæ

Axe iacentia sub gelido,

Pallioli vice linteoli.

Ce

AURELII PRUDENTII

Cedat amor lachrymantum hominum
 Qui celebrare suprema solent,
 Flebile cedat & officium:
 Ipsa elementa iubente Deo
 Exequias tibi virgo ferunt.

Nunc locus Emerita est tumulo
 Clara colonia Vettoniæ,
 Quam memorabilis amnis Ana
 Præterit, & viridante rapax
 Gurgite mœnia pulchra lauat.

Hic ubi marmore perspicuo
 Atria luminat *alma nitor,
 Et peregrinus, & indigena
 Reliquias, cineresq; sacros
 Seruat humus veneranda sinu.

Tecta corusca superrutilant
 De laquearibus aureolis,
 Saxa q; cæsa solum variant,
 Floribus vt rosulenta putes
 Prata rubescere multimodis.

Carpite purpureas violas,
 Sanguineosq; crocos metite,
 Non caret his genialis hyems,
 Laxat & arua tepens glacies,
 Floribus vt cumulet calathos.

Ista comantibus è foliis
 Munera virgo puerq; date,
 Ast ego ferta choro in medio
 Texta feram pede dactylico,
 Vilia, marcida, festa tamen.

Sic venerarier ossa libet,
 Ossibus altar & impositum,
 Illa Dei sita sub pedibus
 Prospicit hæc, populosq; suos
 Carmine propitiata fouet.

G Ermine nobilis Eulaliæ) Carmen est, quale illud, O crucifer bone: principio commendat illam à nobilitate patriæ, deinde à nobilitate generis, & quod ab inerte ætate dedit specimen futuræ religionis, deinde prosequitur ordine beatæ martyris passionē, tum demū prosequitur miracula quæ in morte illius uisa sunt, & celebritatem omnium ad eius tumulum. Indole mortis, id est, uirtute, id quod præcedit pro eo quod sequitur, nam indoles uirtutem præcedit. Cuius ab ubere, id est, fertilitate. Vergilius, i. Aeneid. Potens armis atque ubere glebæ. Occiduo, id est, occidenti Soli, nam Emerita non multum distat à sacro promōtorio, quæ est totius Europæ locus maxime omnium occidentalis. Curriculis tribus atque nouem, id est, Solis duodecim reuolutionibus, hoc est, duodecim annis. Attigerat quater hyemes, id est, duodecim annos, accipiendo partem annorum pro toto anno. Pyra crepitante, id est, lignorum strue incensa: crepitat autem ignis, cum ligna comburuntur, quod aiunt, ut inquit Aristoteles, Vestam ridere, & notat quo mortis genere passa est martyriū. Aspera, in seipsam talia perpetrando. Dulce sibi, id est, rem dulcem. Vergil. Dulce satis humor. Indicium, indolem ut supra dixit. Ad solium patris, ad regnum cœleste, in quo Dei sedes est. Dicata toro, subaudi fore, id est, dederat indicium se nemini nuptum iri. Crepundia, diximus fuisse crepitacula, quæ pusionibus & puellis dantur ad cohibendos fletus, & in quibus ludunt. Puoliola, id est, puellula, nam pusio paruus est puer. Succina, quæ Græcè dicuntur electra, uulgo ambar, gummi arborum notissimum. Flere rosas, id est, cum fletu abijcere, cum aliæ soleant flere ut dentur. Fulua monilia, id est, aurea à colore. Maribus teneris, iuxta illud Sap. ij. Cani hominis sapientia illius. Furiata lues, id est, persecutio in Christianos. Cruenta, id est, cruorem minitans, nisi sacrificent tibus et iecora deis. Parat frāgere, ordo est, Et rude pectus, & ferox ingenio parat frāgere, id est, superare, Bella turbida, i. perturbationem alijs afferentia, i. parabat se martyrio

Tyrio patiendo, sed hoc uolebant parentes prohibere oc-
 cultando illam in agro. Fera puella, efferata amore mar-
 tyrij. Prouocat arma uirum, pro uirorum, id est, instru-
 menta quæ scuiant in ipsam. Quietis, id est, pacis & tran-
 quillitatis. Mora degeneri, quia uidebatur sibi degene-
 rare, si non rueret in martyrium. Septa claustra, id est, do-
 mus sepimentata, quibus erat clausa. Ingredditur, uadit. Per
 loca senta situ, id est, loca spinosa & inculta. Vergilij est
 in sexto Æneid. Sileat, id est, sit noctis silentium. Vergi-
 lius, Per amica silentia noctis. Sic habuit, ex Exod. cap. 13.
 Dominus, inquit, præcedebat filios Israel, ad ostenden-
 dam uiam, per diem in columna nubis, & per noctem in
 columna ignis. Patrum, id est, filiorum Israel. Intereunte
 chaos, id est, dissipatis tenebris. Meruit diem, id est, diei
 lucem. Regna Canopica, id est, Ægyptia, nam Canopus
 ciuitas est Ægypti, quæ nunc Damiatia dicitur: sed per
 regna Canopica intelligit regna mundi huius, quæ mar-
 tyr fugiebat, ut Hebræi Ægyptia. Gradu peruigili, quia
 totam noctem uigilauerat. Plaga Eoa. i. regio Orien-
 talis. Pandat polum, id est, cœlum aperiatur sol oriens. Ver-
 gilij: Panditur interea domus omnipotentis olympi. A-
 dit tribunal, ubi erat iudex. In medijs fascibus, id est, lecto-
 ribus, qui fasces præferebant magistratibus. Perdere ani-
 mas, scilicet uestras, præcipitando illas ad inferos. Scopu-
 lis rasilibus, id est, uiscera uestra radentibus. Male pro-
 diga sui, quia male impenditis mortem. Christicolum, id
 est, Christicolarum. Isis, Apollo, qui sunt ex magnis &
 consentientibus deis. Maximiani, qui particeps imperij cum
 Diocletiano fuit, anno salutis circiter trecentesimo, quo
 tempore persecutio ualida in Christianos fuit. Cliens la-
 pidum, id est, cultor idolorum. Nam cliens à colendo di-
 citur. Prostituatur, uerbum turpe sumptum ab illis, qui se
 prostituunt libidini publicæ, & in sacris literis uerbum est
 frequens mœchari, de ijs qui idola colant. Generosa, qua-
 lem me profiteor. Quatit, id est, persequitur. Dux bonas,
 per troniam est legendum, sanguine innocuo, id est, mar-
 tyrum.

tyrum. Corporibus pijs, id est, religiosis. Inhians, sum-
 ptum à pullis hirundinis, qui cibis inhiant, id est, auide cu-
 piunt. Seneca in Hercule fur. Nullo fine beatas componit
 opes gazis inhians. Fidem, id est, fideles Christianos.
 Coacta, id est, composita & compacta. Rem fragilem, cor-
 pus frangibile cito. Obrue supplicijs, id est, onera, uel lace-
 ra. Sentiat, nunc cum dolore, est hic sensus Terent. Sen-
 tiet qui uir siem. Nequitiam, peccatum siue malum. Quan-
 ta gaudia metas, id est, colligas, unde messores dicti. Ge-
 nialis honor, id est, nuptiæ, unde Lect⁹ genialis in aula est,
 apud Horatium. est enim Genius generationis deus. Do-
 mus, parentum familia. Nobilitas, aut parentum, aut om-
 nium nobiliū. Pompa thori, id est, thalami, iam tibi parati
 ad naptias. Senum, patris & matris. Debilitas, id est, hoc
 tuo facto temerario crucias. Ministeria, pro ministris. Si-
 cut seruitia pro seruis. Apulci⁹, Tunc me uelut quandam
 uiclimam publice ministeria perducunt. Feriere caput, la-
 niabere membra, synecdoche per uerbum passiuum. Flues
 in cineres, id est, cremaberis. Ululanda tuis, more fœmina-
 rum quæ in fletu ululant. Vergil. Et fœmineo ululatu. Fu-
 gere hæc, id est, tanta mala quæ tibi sunt parata. Eminus-
 lis digitis, id est, eminentibus & summis: & est sensus,
 pœna grauis aberit à te, si summis digitis uelis tangere
 modicum salis & exiguum thuris, ad sacrificandum, sci-
 licet, dijs. Salis autem dicit, propter molam quæ sale spar-
 gebatur. Vergil. Et falsæ fruges & circum tempora uit-
 tæ. Varro de Re rustica scribens de canibus, spina neque
 eminula neque curua. Impositam molam, quæ erat para-
 ta ad sacrificium. Prosubigit, id est, proculcat. Vergil. iij.
 Georgicor. Et pede prosubigit terram. Pectora iuncea,
 id est, pulchre deducta & composita. Terentius in Eunu-
 cho, Reddunt curatura iunccas. Numerante notas, id est,
 signa quæ faciebant ungulæ. Scriberis, allusit ad notas
 quæ aliquando significant literas, ideo dicit, ò domine tu
 scriberis mihi, id est, in me. Hos apices, qui literis imponi
 consueuerunt, in literis præsertim. Hebræis & Græcis.

AVRELI PRUDENTII

Notant, id est, per notas representant. Sanguinis elicti, ex uulneribus meis expressi. Lucanus in. ix. Virus & elictum. Sacrum nomen, id est, Christum. Fonte recalente. i. recentante sanguinem. Vergil. iij. Georg. Lauit ater corpore sanguis. Vltima carnificina. i. ignis, quod fuit ultimū tormentū. Laceratio, ut antehac, Crate tenus, id est, quæ non penetrabat nisi usque ad costas, quæ sunt quasi quædam crates ipsius corporis. Crinis odor, non tunc, sed quæ solebat odoribus suffiri. Vergil. Ambrosiæ quæ comæ diuinum uertice odorem spirauere. Ut in iugulos, id est, in partem colli anteriorem. Inuolitans humeris, id est, in humeros: & est sensus, quod uirgo deduxit capillos in faciem & humeros, ut absconderet pudorem suum cum moreretur. Tegmine, id est, capillis. Flamma crepans. Vergil. i. Georg. Atque leuem stipulam crepitantibus urere flammis. Volat in faciem, quia capilli sunt igne correpti. Vegetata, nutrita. Exuperat apicem, scilicet capitis. Vergil. ij. Æneid. Fundere lumen apex. Columba repens, pro repente, sicut recens pro recenter. Lacteolus, candidus. Flatus, id est, spiritus. Tempa celsa, id est, cælum quod proprie templum dicitur, nam hæc nostra in terra per translationem dicuntur templa. Meare pro nolare. Sua gesta fugit, id est, cæde quam uirgini fecerat. Lictor, qui præferebat prætoris insignia. Sub axe gelido, id est, sub cælo, pars pro toto, ut Intonuere poli: nam polus & axis partes sunt cæli. Vice pallioli linteoli, id est, ad similitudinem pallij linteij. Cedat amor, sensus est, quod exequiæ uirginis huius magis honorificæ sunt, quàm eorum qui in funere desentur. Locus in quo martyr est passa, Emerita, colonia Romanorum in prouincia Lusitaniæ & Vectoniæ, nam Vectones populi sunt Lusitaniæ, de quibus Lucan. lib. iij. Vectonesque leues. Annis Ana, fluminis qui diuidit Bæticam à Lusitania, & inde nobilitate uiridante, propter arbores aut herbas adiacentes ripis, quod illius fluminis est proprium. Hic ubi, ordo est, Hic humus ueneranda, propter uirginis martyrium.

Seruat in sinu, id est, gremio reliquias & cineres sacros. Vbi nitor luminat, id est, illustrat. Atria alma, id est, templa. Marmore perspicuo, id est, pellucenti & splendido. Superrutilant de laquearibus, ordo est, de super rutilant. Saxa caesa, id est, secta in pauimenta uermiculata, uariata arte museaca, qualia nunc Emerita multa conspiciuntur. Rosulenta, id est, plena rosis: nam erant in pauimento lapillis formatae rosae & uiolae, & huiusmodi flores. Carpite, hoc ad laudem picturae pertinet, quod flores picti erant quam simillimi ueris, quare inuitat ad carpandos illos. Genialis hyems, ex Vergil. ij. Georg. Inuitat genialis hyems, id est, uoluptuosa, ex eo quod tunc omnes uacant ocio: uel potius disjungendus locus à superiori, inuitatque ad carpandos flores quos spargunt in templo diuae Eulaliae, & tunc sequitur, non caret bis hyems, quia Emerita in tali situ caeli est, qui propter aeris clementiam per mediam hyemem flores parturit. Ideo dicit, glacies tepens, id est, hyems tepida & clemens. Cumulet, id est, impleat canistra. Comantibus, florentibus. Pede dactylico, cuiusmodi est praesens Ode. Vilia, parui aestimanda. Festa, id est, festo uirginis conuenientia. Altar, altare, sicut cochlear & cochleare declinatur. Propiciata, id est, propitia & beneuola facta.

HYMNVS IN LAUDEM DECEM

Octo Martyrum Caesaraugustanorum.

Ode dicolos tetrastraphos: tres uersus sunt sapphici hendecasyllabi, quartus Adonius, eius modi cuius hym. post leiun. Christe seruorum.

B Is nouem noster populus sub vno,
Martyrum seruat cineres sepulchro,
Caesaraugustam uocitamus urbem,

Res cui tanta est.

Plena magnorum domus angelorum

Non timet mundi fragilis ruinam,

Tot sinu gestans simul offerenda

Munera Christo,

R. ii,

Quina

AVRELII PRUDENTII

Quum Deus dextram quatiens coruscam
Nube subnixus veniet rubente,
Gentibus iustam positurus æquo
Pondere libram.

Orbe de magno caput excitata
Obuiam Christo properanter ibit,
Ciuitas omnis pretiosa portans
Dona canistris.

Afra Carthago tua promet ossa,
Ore facundo Cypriane doctor
Corduba Aciscum dabit, & Zoëllum,
Tresq; coronas.

Tu tribus gemmis diadema pulchrum
Offeres Christo genitrix piorum
Tarraco, intexit cui Fructuosus
Sutile vinclum.

Nomen hoc gemmæ strophio illigatum est,
Emicant iuxta lapides gemelli,
Ardet & splendor parilis duorum
Igne corusco.

Parua Felicis decus exhibebit
Artubus sanctis locuples Gerunda,
Nostra præstabit Calagurris ambos
Quos veneramur.

* Barchinon claro Cucufate freta * Barcilon
Surget, & Paulo speciosa Narbo,
Teq; præpollens Arelas habebit
Sancte Genesi.

Lusitanorum caput oppidorum
Urbs, adoratae cineres puellæ
Obuiam Christo rapiens, ad aram
Porriget ipsam.

Sanguinem iusti cui pastor hæret,
Ferculum duplex, geminumq; donum
Ferre Complutum gremio iuuabit
Membra duorum.

Ingeret Tingis sua Cassianum
 Festa, Mastylum monumenta regum,
 Qui cinis gentes domitas coëgit
 Ad iuga Christi.

Singulis pauca tribus aut duobus
 Forsan & quinis aliquæ placebunt,
 Testibus Christi prius hostiarum
 Pignore functæ.

Tu decem sanctos reuiches & octo
 Cæsaraugusta studiosa Christi,
 Verticem flauis oleis reuincta
 Pacis honore.

Sola in occursum numerosiores
 Martyrum turbas domino parasti,
 Sola prædiues pietate multa
 Luce frueris.

Vix parens orbis populosa Pœni,
 Ipsa vix Roma in folio locata,
 Te decus nostrum superare in isto
 Munere digna est.

Omnibus portis facer immolatus
 Sanguis exclusit genus inuidorum
 Dæmonum, & nigras pepulit tenebras
 Vrbe piata.

Nullus vmbrarum latet intus horror,
 Pulsa nam pestis populum refugit,
 Christus in totis habitat plateis,
 Christus vbique est.

Martyrum credas patriam coronis
 Debitam sacris, chorus vnde surgens
 Tendit in cœlum nineus togatæ
 Nobilitatis.

Inde Vincenti tua palma nata est,
 Clerus hinc tantum peperit triumphum,
 Hinc sacerdotum domus infulata
 Valeriorum.

AVRELII PRVDENTII

Sæuus antiquis quoties procellis
Turbo vexatum tremefecit orbem,
Tristior templum rabies in istud
Intulit iras.

Nec furor quisquam sine laude nostrum
Cessit, aut clari vacuus cruoris,
Martyrum semper numerus sub omni
Grandine creuit.

Nónne Vincenti peregre necandus
Martyr, his terris tenui notasti
Sanguinis rore speciem futuri
Morte propinqua?

Hoc colunt ciues, velut ipsa membra
Cespes includat suus, & paterno
Seruet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.

Noster est, quamuis procul hinc in vrbe
Passus ignota, dederit sepulchro
Gloriam victor, prope litus alta
Forte Sagunti.

Noster & nostra puer in palæstra
Arte virtutis, fideiq; oliuo
Vnctus, horrendum didicit domare
Viribus hostem.

Nouerat templo celebres in isto
Octies partas, deciesq; palmas
Laureis doctus patriis, eadem
Laude cucurrit.

Hic & Encrati recubant tuarum
Ossa virtutum, quibus efferati
Spiritus mundi violenta virgo
Dedecorasti.

Martyrum nulli remanente vita
Contigit terris habitare nostris,
Sola tu morti propriæ superstes
Viuis in orbe.

Viuis, ac pœnæ seriem retexis,
 Carnis & cæsæ spoliū retentans,
 Tetra quàm sulcos habeant amarus
 Vulnera narras.

Barbarus tortor latus omne carpsit,
 Sanguis impensus, lacerata membra,
 Pectus abscissa patuit papilla
 Corde sub ipso.

Iam minus mortis pretium peractæ est,
 Quæ venenatos abolens dolores,
 Concitam membris tribuit quietem
 Fine *supremo. *soporo.

Cruda te longum tenuit cicatrix,
 Et diu venis dolor hæsit ardens,
 Dum putrescentes *renuat medullas *tenuit
 Tabidus humor.

Inuidus quanuis obitum supremum
 Persequutoris gladius negarit,
 Plena te martyr tamen vt peremptam
 Pœna coronat.

Vidimus partem iecoris reuulsam,
 Ungulis longè iacuisse pressis
 Mors habet pellens aliquid tuorum
 Te quoque viua.

Hunc nouum nostræ titulum fruendum
 Cæsaraugustæ dedit ipse Christus,
 *Iuge viuentis domus vt dicata *tumba
 Martyris esset.

Ergo ter senis sacra candidatis
 Diues optatò simul & Luperco
 Perge conscriptum tibi met Senatū
 Pangere psalmis.

Ede Successum, cane Martialem,
 Mors & Urbani tibi concinatur,
 Iuliam cantus resonet, simulq;
 Quintilianum.

AVRELII PRVDENTII

Publium pandat chorus, & reuoluat
Quale Frontonis fuerit trophæum,
Quid bonus Felix tulerit, quid acer
Cæcilianus.

Quantus *Euenti tua bella sanguis *Heuuanti
Tinxerit, quantus tua Primitiue,
Quum tuos viuax recolat triumphos
Laus Apodemi.

Quattuor posthinc superest virorum
Nomen extolli, reuente metro,
Quos Saturninos memorat vocatos
Prisca vetustas.

Carminis leges amor aureorum
Nominum paruifacit, & loquendi
Cura de sanctis *ociosa non est, *vitiosa
Nec rudis vnquam.

Plenus est artis modus, annotatas
Nominum formas recitare Christo,
Quas tenet cæli liber, explicandus
Tempore iusto.

Octo tunc sanctos recolet decemq;
Angelus, coram patre, filioq;
Vrbis vnus regimen tenentes
Iure sepulchri.

Quin ad antiquum numerum trahentur
Viua post pœnæ specimen puella,
Morsq; Vincenti, cui sanguis hinc est
Fons & honoris.

Additis Gaio, nec enim filendi,
Teq; Crementi, quibus incruentum
Ferre prouenit decus, ex secundo
Laudis agone.

Ambo confessi dominum steterunt
Acriter contra fremitum latronum,
Ambo gustarunt leniter saporem
Martyriorum,

Hæc

Hæc sub altari sita sempiterno,
Lapsibus nostris veniam precatur
Turba, quam seruat procerum creatrix
Purpureorum.

Nos pio fletu, date, perluamus
Marmorum sulcos, quibus est operta
Spes, vt absoluam retinaculorum
Vincla meorum.

Sterne te totam generosa sanctis
Ciuitas mecum tumulis, deinde
Mox resurgentes animas, & artus
Tota sequeris.

Bis no.) Carmē est Sapphicū mixtum Adonico, quale illud, *Christe sanctorū*. Celebrat Poëta patriā suam narrando duodeuiginti martyres, & Vincentium & Eucraten, duosque confessores Gagium & Crementū eiusdem ciuitatis indigenas. Bis nouem. i. duodeuiginti. Noster populus, quia ut in Prudentij uita diximus, Cæsar augustanus fuit. Res tanta. i. tanto pretio æstimanda. Mundi ruinam, quippe tanta sanctorū præsentia est munita. Sinu, translatio sumpta ab ijs qui plenos muneribus sinus offerunt. Nube rubente, ad illud respicit quod scribit Euangelista, Videbitis filium hominis uenientem in nubibus cæli. Libram iustam, id est, iustitiā, quæ libræ omnia adæquant conuenit. Omnis ciuitas, quia omnes uenturi sunt ad iudicium. Excitata caput. id est, habens caput excitatum, perinde ac si ciuitas sit una quædam persona. Dona preciosa, id est, martyres indigenas: & quod dixit in genere, explicat per partes. *Aphra carthago*, ad differentiam *Carthaginis Spartariæ* siue nouæ quæ est in Hispania. *Cyprianum*, qui fuit *Carthaginensis*, & solam hanc posuit ex urbibus peregrinis, cum reliquæ omnes sint in Hispania. *Corduba*, ciuitas *Beticæ* nobilissima. *Aciselum*, cuius festum Ecclesia celebrat. xv. Kalend. Decembris: *Zoellum*, huius quoque festum celebrat. v. Kalend. Iulij: sed nomine *paululum* immutato *Zoilum* pro *Zoello* nuncupās, cum alioquē

Zoilus